



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio I. De Anima ut sic, & ejus divisionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)



TRACTATUS DE ANIMA.

*Tractatus de Anima est complementum Disputationum Physicarum;
De illa, sit*

DISPUTATIO I.

De Anima ut sic, & ejus Divisionibus.

DARI ANIMAM iisdem ferme rationibus probari debet ac probatum in Physicis dari formam substantialem. Additis tamen notionibus & characteristicis Animæ, præcipuè à prædicato vitæ petitis.

Quod autem attinet ad ejusdem definitionem eam duplicem exhibuit Aristoteles.

Primum, Libro 2. de Anima capite 1. textu 6. quòd sit actus primus corporis naturalis, potentia vitam habentis, tale autem, quod utique sit instrumentale.

Ly Actus, sumitur pro genere, quod tamen genus, simul, differentiale est, in anima, respectu aliarum formarum, quæ non nisi assistentes essent; ad eum modum: quo ly animal, respectu Angelorum & lapidis est in homine quid differentiale. Neque valet si dicas, quòd non dentur ullæ formæ assistentes; nam non dantur quidem ullæ formæ assistentes, hoc sensu, quia omnes ordinantur ad informationem subiecti, & si non ordinarentur, hoc ipso, completæ essent substantiæ; dantur tamen hoc sensu formæ assistentes, quia possint habere, aliquo casu miraculoso, alligationem aliquam localem, vel solam (sine miraculo) indistantiam, sine ullo jure informandi corpus; quo casu distinguerentur ab Anima informante; quia informans respectu illius corporis, haberet rationem actus quia rationem informantis, secus illa alia forma.

Dicitur Ly Actus primus, ut distinguatur ab actibus secundis, quales sunt operationes vitales. Unde Ly Actus primus diverso respectu, est prædicatum genericum, diverso differentia-

le, in quantum unaquæque forma differentialis est, actus primus importat prædicatum genericum in quantum autem distinguit ab operationibus v. g. vitalibus, est prædicatum differentiale prædicatum. Sumitur autem Ly Actus primus, pro eodem, ac forma, de cujus ratione non est semper actuare, sed esse aptum actuare. Vocatur etiam forma actus primus materiæ, non quod sit de essentia materiæ quam animat, sed quòd cum sit forma substantialis, & constituat compositum substantiale, non inveniat ante se aliam formam substantialem, nec materiam completam substantialiter. Dicitur corporis Physici, eò quòd hic agatur non de corpore Metaphysico, hoc est de ratione communi corporis, cujus actus non est, nisi illius Metaphysica differentia nec agitur de corpore artificiali. Dicitur Ly potentia vitam habentis: eò quòd vi animæ, de qua hic agitur, possint ab animato exerceri functiones vitales, & exercitia vitæ in Actu secundo ut colligere est ex Aristotele.

Textus sic habet, Vitam autem dicimus quæ per ipsum sit, altionem, augmentationem, diminutionem. En ponit altionem, augmentationem quæ sunt exercitia vitæ. Unde ly potentia vitam habentis, supponit pro Ly potentiam habentem ad operationes vitales. Et ita explicant, qui negant nomine corporis venire hic materiam, sed potius totum compositum. Qui verò censent nomine corporis hic venire materiam, dicunt ly potentia vitam habentis, intelligendum sic esse: quòd materia ultimo disposita, habeat potentiam proximam, ad habendam animam, quæ est vita illius. Ly autem instrumentale, notat istud corpus, ut dicitur communiter, debere esse organicum: quod tamen

† (1)

jam

jam erat sufficienter expositum, in ly organicum. Circa hanc definitionem

QUÆRI solet, quid hic veniat nomine corporis materialis an totum compositum.

Quod veniat nomine corporis totum compositum

PROBARI solet imprimis. Auctoritate Aristotelis ex secundi de anima, textu 8. ubi docet animam quam definierat esse quod quid erat corporis, quæ tamen non est quod quid materia, sed compositi.

RESPONDET Ariaga: Animam esse de primo conceptu materia, non quidem constitutivo sed completivo. Hæc Responsio non satisficit; Quia etiam forma est quid completum, neque tamen dicenda est esse de primo conceptu formæ materia, non quidem constitutivo, sed completivo. Ergo neq; forma erit de primo completivo conceptu materia; quæ ratio fundatur in dictis de primo essentiali conceptu materia. Deinde complementa non solent appellari universaliter quod quid completorum, neque enim ultima unitas complens decadem, est quod quid decadis, cur ergo eandem conditionem, non sequetur forma, complens materiam. Deinde vel materia completur à forma in esse materia, & hoc falsum est, vel in esse constituentis compositum, & sic compleri, etiam formæ convenit.

RESPONDETUR itaq; aliter quod scilicet verum sit, quod anima quam definivit Aristoteles, sit quod quid corporis, sed nego quod Aristoteles idem corpus acceperit in definitione animæ, quod accepit dum illam definit, quod quid esse corporis. Non enim insuetum Philosopho, terminos variare, præsertim qui variationem patiuntur, & suadet ex aliis locis, qui ostendunt nomine corporis, venire materiam, de quo infra.

PROBARI solet secundò. Quia sicut calor potest dici actus calidi, & lumen actus lucidi, sic potest dici anima actus corporis hoc est compositi.

RESPONDETUR. Posse Animam dici actum corporis, hoc est compositi: Sed nego hic in definitione, ita illud sumi, ad eum planè modum, quo potest dici canis natans, de cane, qui est piscis, & de cane domestico! Non sequitur tamen debere semper accipi pro cane pisci. Sicut ergo attendendum est ad suppositionem termini canis, ita & ad suppositionem termini corpus, quam non ostendisse hic, pro composito.

INSTARI solet. Ex textu ejusdem librino, ubi docet Aristoteles oculum mortui hominis, non esse organum, nisi metaphoricè, & æquivocè, adeoq; illum esse compositi.

RESPONDETUR. In hac definitione Animæ, non ponitur ly corporis organici, sed corporis phyfici seu naturalis. Deinde dicit Aristoteles, istud corpus potentia vitam habere, com-

positum autem non potentia, sed actu vitam habet, unde non dicit Aristoteles, quod anima sit actus corporis vitam habentis, sed potentiâ vitam habentis: Et sicut alia hæc est propositio lux est actus lucidi, & alia est actus, potentiâ lucem habentis, hæc q; secunda notat lucidum in potentia, ita & distinctæ erunt hæc propositiones: Est actus potentia vitam habentis, & est actus vitam habentis, hoc posterius, competit composito, prius materia.

PROBARI solet tertio. Lapis non dicitur constare corpore & forma et si constet materia & forma. Ergo apparet ly corpus, non supponere pro materia.

RESPONDETUR. Usus non esse, ut significando compositionem lapidis dicamus illum constare corpore & forma, in re tamen ita esse, & certè si illius materia non est spiritus, debet esse corpus. Enimverò quamvis Polonica lingua Castellanus dicatur Dominus, non sequitur quod alii non sint Domini: ita quamvis dicatur lapidem constare materiâ, non sequitur non constare corpore.

Quamvis autem dicamus in Physicis: Materiam solam cum diversis accidentibus esse corpus organicum, non sequitur lapidem esse corpus organicum, quamvis habeat materiam cum diversis accidentibus. Quia quamvis organum in re, solam dicat materiam cum accidentibus, supponit tamen ad significationem salvandam organi, quod illa accidentia habeant se per modum instrumenti, ad definitas operationes à natura, destinati, quas nec habet lapis, nec accidentia illius sunt talia, quæ ad hoc ordinantur, consequenter non dicitur lapis esse corpus organicum.

INSTABIS. Melius definitur res, per proprium finem, & per effectum formalem, quam per media, jam autem finis ad quem ordinatur forma, est compositum: Ergo per illud debet definiri forma.

RESPONDETUR. Hæc ratio imprimis probat contra Aristotelem per actuationem definit formam. Deinde nego finem formæ solum esse compositum, sed illum, etiam esse, informationem materia. Pone etiam per impossibile illud, quod pro certo supponit schola Scotistica, compositum scilicet esse tertiam Entitatem, numquidne non haberet finem intentum forma si informaret materiam quamvis non refutaret tertia illa Entitas finem inquam, saltem proximum & immediatum.

Quod autem nomine Corporis veniat materia.

Prima RATIO est. Quia Aristoteles lib. 2 do textu 4 to docet: Animam esse in corpore sicut in subiecto, non est autem in composito sicut in subiecto, aliàs esset inadæquatè in seipsa. Ergo apparet nomine corporis venire materiam.

RESPON-

RESPONDETUR. Animam quidem esse nonnisi in materia, tanquam in subiecto, esseque hanc materiam corpus, sed unde hoc probatur, quod corpus supponat hic in definitione pro materia, cum aliàs etiam supponat pro composito.

RATIO Secunda est. Quia ibidè textu septimo, supponit ita distingui animam & corpus in definitione positum, sicut distinguuntur figura & cera, hoc est realiter & adæquatè, & tamen forma nonnisi à materia distinguitur realiter adæquatè, non autem à composito. Ergo apparet hic intelligi solam materiam.

RESPONDETUR. Hoc ipsum arbitrariè dici, quod ubicunque ponit Ly corpus Aristoteles, quod ponat realiter adæquatè distinctum à materia, cum certum sit apud eundem, nomine materiæ venire etiam compositum, cur ergo non veniet etiam positum in definitione Animæ. Deinde comparat animam Aristoteles ad corpus sicut figuram ad ceram non in distinguendo, sed in informando: quia scilicet sicut figura ceram ita informat materiam Anima. Unde etiam quamvis septimo Metaphysicorum corpus vocet Animæ instrumentum, quod instrumentum non est compositum, sed materia; id probat nomine corporis venire materiam, sed cum aliàs etiam compositum veniat nomine materiæ, id probat, Ly corpus, in definitione animæ positum, non supponere pro composito.

RATIO Tertia est. Sinomine corporis Organici veniat compositum, sensus erit: quod anima sit Actus compositi, habentis animam.

RESPONDETUR, in re, verum assumi ab argumento, sed non quoad modum significandi, & sic Homo definitur in re per Hominem, non tamen quoad modum significandi: & sic ut bene dicitur lucidum, id, quod habet lucem, universaliterque concreta bene definiuntur per abstracta, ita & in præsentibus, bene definitur Anima, quod sit Actus animati.

Ex his colliges pro utraque parte nihil esse certi, quomodo Ly corpus sumpsit Aristoteles in præsentibus definitione; propter quam ipsam ambiguitatem, censetur hæc definitio non esse exacta, est tamen sufficienter descriptiva & notificativa. Hinc etiam habet plures terminos, qui idem nonnisi aliter atque aliter explicant, certè enim ly organicum, & potentia vitam habere, pro eodem supponunt, cum corpus organicum nonnisi in viventibus habeatur.

Secunda DEFINITIO sumitur Animæ ex cap. 24. Anima est id quo vivimus, & sentimus, & movemur, & intelligimus.

Hæc definitio etiam non est exacta, non tam enim definit Animam, quam definit ea, quæ sunt anima: quia tamen traditur per manifestiora utcunque rem explicat. Porro ly Et, toties hic repetitum, sumendum est partim dis-

junctivè partim copulativè. Si enim sumeretur tantum copulativè soli Animæ rationali competeret; debet ergo ratione præcedentium particularum copulativè accipi; nam quod intelligit, & movetur, & sentit, & vivit; ratione autem consequentium particularum, debet disjunctivè accipi, nempe ut vivat tantum, vel etiam sentiat. Prior definitio magis est in usu. Ex verbis illius potest erui hæc rigorosior definitio. Anima est actus primus incompletus vitæ vel formæ in actu primo vivificandi.

His de Existentiâ & Definitione Animæ præactis, quoniam definitio illius importat quid sit actus corporis potentia vitam habentis. Sit

QUÆSTIO I.

De Anima prout est vita.

EST hic necesse examinare quid sit vivere, tam in actu primo, quam in actu secundo, & cui subiecto competat.

DIFFICULTAS I.

Quid definitivè Vita?

EXplicationes varias quid sit vita, videbis apud Arriaga, fusè & Oviedo hic ad difficultatem totam intelligendam.

PRÆMITTO 1. Non esse hic principale intentum ostendere quid vivat, seu subiecta vita. Certum enim est Deum, Animalia, &c. vivere, cæterum etiam de aliquibus subiectis vitæ, erit aliqua difficultas ut an species impressæ, habitus, &c. sint principia vitalia. Maximus punctus in hoc est: quæ sit ratio communis vitæ, omnibus his saltem communis analogicè.

PRÆMITTO 2. Specialiter attendi in definitione vitæ ad immanentiam, ad, proficisci ab intrinseco; quos terminos latissimè explicat Oviedo integerrimo Puncto primo. Suffecerit id præ oculis habere; quod immanentia, quæ requiritur ad vitalitatem, non intelligatur immanentia per identitatem, quia talis immanentia non nisi soli Deo competit identificanti sibi suos actus. Per immanentiam ergo intelligitur potius actio, quæ nata est recipi in eodem principio quod operatur, & quidem non sola ipsa sed etiam terminus, qui vi illius actionis produci- tur. Ex quo ulterius vides, quod ly immanentia ut ita dicam sit passivum quid, hoc est ad patiendam actionem & ejus terminum. Jam autem ly ab intrinseco, tenet se ex parte principii, cui scilicet, tanquam Ratio formalis ut quo agendi, debeatur illa actio; & Terminus actionis, tanquam effectus: possetque hoc ly ab intrinseco appellari Immanentia principiativa: vocando aliam immanentiam unionis.

PRÆMITTO 3. Dupliciter posse spectari vitam. Primò in Actu primo quæ sita sit in possessione

sione principii vitaliter operativi, de quo quæritur hic, in quo statuendum sit: & aliam vitam in actu secundo, quæ sita sit in exercitio illius potentia.

PRÆMITTO 4. *Vita in actu primo, non debet essentialiter immanentiam Unionis.* Quia potentia identificata animæ, non dicunt immanentiam Unionis, & tamen sunt vitales in Actu primo.

PRÆMITTO 5. *Vitalitatem in actu secundo salvari non posse, sine hoc, quod est proficisci ab intrinseco, seu sine immanentia principativa.*

RATIO, quia alias omnes operationes essent vitales, si semel dicatur, aliquam operationem vitalem, posse non esse ab intrinseco. Tum quia omnia quæ manifestè vivunt, operantur ab intrinseco, & quæ manifestè non vivunt, non operantur ab intrinseco. Ergo apparet vitalitatem in actu secundo, non posse salvari sine motu ab intrinseco, imò nisi hoc dicatur, poterit dici: quod digiti cadaveris si moveantur aliqua arte vel impulsu hoc ipso vivunt. Tum quia quæcunque tandem afferetur definitio vitæ, semper in illa ponetur vel formaliter vel æquivalenter ly ab intrinseco. Ergo apparet ly ab intrinseco, necessarii requiri.

Addit & bene. Amicus, Tomo 3. Disp. 2. num. 76. vitalitatem non posse desumi ex hoc, quod sit actio à principio, quod est simpliciter vita, aliàs omnes actiones essent vitales, utpote profectæ à Deo, tanquam à principio, quod est vita; nec etiam desumitur vitalitas à subiecto recipiente quod est vita, aliàs nobis receptio gratiæ vitalis esset, non etiam desumitur ab objectis, quia hæc sæpe vitalia non sunt. Restat ergo, ut desumatur ab ipso moveri ab intrinseco; unde etiam Tridentinum, definiens, quod in justificatione non habeamus nos mortuo modo, explicat id per hoc, quia nos movemus per actus nostros.

PRÆMITTO 6. *In hoc quod est uniri potentia producenti terminum productum ab intrinseco, seu in immanentia per unionem non stare essentialiter Vitalitatem.*

RATIO prima est. Tum quia ponamus, quod ab intrinseco moveat se homo ad producendam intellectionem, supposito quod intellectio seu verbum mentis sit res, impediatur Deus illius unionem, transferatque eam in lapidem. Quæro an tunc dicendus sit intellectus operatus vitaliter vel non dicendus. Si est operatus vitaliter. Ergo facit operationem vitalem, quæ tamen ut suppono non dicit immanentiam unionis. Quod si illa operatio non est vitalis, cur non? cum ad illam fuerit motus ab intrinseco.

RATIO Secunda est. Quia in actu vitali sunt duo. Immanentia unionis & immanentia principativa sive motus ab intrinseco. Quæro an in utraque consistat vitalitas, indepen-

denter ab alia. Si in utraque consistit independenter ab alia, Ergo si productam ab alio qualitatem faciat mihi Deus uniri, vitale mihi illud erit. Quod si dependenter ab acceptione esse à principio intrinseco, vitalitas refunditur, in hoc, quod est habere immanentiam unionis, si in ipsa immanentia principativa, vitalitas non sinit, quomodo vitalitatem refundere poterit, in immanentiam unionis? ad eum modum, quo si essentialiter non staret libertas in actu interno solo, non posset illam refundere in actum externum. Unde quod Philosophi velint ab eodem principio proficisci & recipi actionem vitalem, id non ex eo invaluit, quasi illa receptio sit essentialiter requisita ad vitalitatem, sed quia cum illa actio utpote accedens recipi debet in aliquo, non habet connaturali sibi subiectum, illud principium à quo producit, sed nego hanc receptionem formalizare vitalitatem.

RESPONDEBIS. Sufficere ad vitalitatem quod ille terminus petat recipi, in eo, à quo producit. Contra, hoc ipsum prius probari debuit, requiri ad vitalitatem. Deinde sicut non sufficit, ut aliqua sit actio vitalis, quod petat produci ab intrinseco, casu quo non producat ab intrinseco. Ergo ne sufficiet exigere recipi in subiecto, si non recipiatur in subiecto, possitque Divinitus non recipi.

RATIO Tertia est. Quia id in quo essentialiter stat vitalitas, debet esse ejus rationis, ut ubicunque ponatur, adferat secum prædicatum vitalitatis, sed præcisè immanentia unionis, non adfert secum vitalitatem, ut constat ex unionem gratiæ, specierum, habituum. Ergo.

RESPICIUNT hæ rationes principium negativum, quod non sint multiplicanda Entia sine necessitate. Ergo nec multiplicanda formalisativa vitalitatis, nulla autem est necessitas ponendi, quod præter Immanentiam principativam, requiratur ad vitalitatem immanentia per unionem.

DICES I. Ea quæ sunt complexum duorum, sunt ejus rationis, ut unum sine alio, non constituat illud complexum; & sic unitas non constituit binarium, nec sola anima compositum.

RESPONDETUR. Quæ plura unum constituent, includunt in se inadæquatam rationem constituti; & ita unitas, est inadæquatè binarius: Jam autem immanentia unionis, nec inadæquatè constituit vitalitatem. Nihilominus salvari non potest sine immanentia unionis nutritio. Si enim in nutritione non ponetur unio partium, non esset nutritio, sed id deposit nutritio, non ex prædicato vitalitatis, sed ex natura nutritionis. Deinde nego vitalitatem esse complexum ex produci & recipi in eodem principio, sed stat solo produci ab intrinseco.

Dice-

DICES 2. Si non requiritur ad vitalitatem receptio actionis, sequitur, quod si lapis assumatur ad productionem intellectus in Petro, erit illi intellectus illa vitalis.

RESPONDETUR. Negando Sequelam. Ratio quia necdum lapis eliceret illam intellectum ab intrinseco.

DICES 3. Assumatur Petrus ad producendam intellectum in Paulo, eo casu movebitur ad illam ab intrinseco, & tamen illa productio, non erit illi vitalis, idque non ex alio capite, quam quia illam intellectum non recipiet in se. Ergo ratio vitalis Essentialiter stat, in illa immanentia unionis.

RESPONDETUR. Dupliciter posse assumi Petrum ad producendam intellectum in Paulo. 1. Ut eliciat intellectum in se, quam postea Deus transferat in Paulum. Et dico, non esse illic assumptionem rigorosam, sed potius impeditorem unionis cum intellectu Petri. Assumptio enim rigorosa in linea efficiens, stat in productione effectus supra naturam, vel quoad Entitatem, vel quoad modum operandi: neutrum autem horum competit illi intellectui, quam elicitam à Petro, transfert Deus in Paulum: & hæc productio est illi vitalis, atque si nunquam translata fuisset illa intellectus in Paulum. Quia si non fuisset translata fuisset vitalis. Ergo etiam quamvis transferri debuit, non desit esse vitalis, quia per hoc quod alicui postea evenire debet, non mutatur res.

2. Potest assumi Petrus ad producendam intellectum in Paulo, ita, sicut assumeretur etiam lapis, ad eandem producendam, & sic illa intellectus, non erit vitalis Petro, non ex defectu immanentiae per unionem, sed quia non est ab intrinseco, non enim habet Petrus intrinsecam vim, producendi intellectus, in anima, quæ non est ipse producat.

PRÆMITTO 7. Præter jam dicta in explicatione vitæ, ad hoc attendi debet, ne ratio vitæ conveniat emanationi passionum & potentiarum ab anima, si hæc sunt distinctæ. Item ut salvet in Deo rationem vitæ. Denique ut salvet quomodo ignis dum augetur non vivat, vivat autem planta.

Punctum Difficultatis 1.

Adferuntur aliorum Explicationes.

EXPLICATIO I. post alios, rationem vitæ recentior Suarez, quod sit principium motus, per se immanentis ab intrinseco. Hæc Explicatio

NON SATISFACIT 1. Quia de essentia vitalitatis non est immanentia per unionem & receptionem in Subiecto ut probatum supra, & tamen hanc immanentiam per unionem supponit dicta definitio.

NON SATISFACIT 2. Quia anima emanans potentias emanat illas ab intrinseco, & est principium illarum per operationem immanentem, & tamen non vivit illas emanando ut communiter docetur, & alias posset dici ignis vitaliter emanare calorem.

RESPONDET recentior Suarez productio passionum non esse vitalem, quia tribuuntur externo generanti, itemque motum elementorum v.g. ad sua loca, quia hæc loca, data sunt illis, à generante, ut propria.

CONTRA est imo. Quia talis debet dari definitio vitæ, ut illa ipsa contineat prædicata quibus excludantur, ea quibus non competat vivere, hoc autem non facit dicta definitio; quia quando quæro, cur ab intrinseco non proficiatur emanatio passionum, respondit: quod tribuantur generanti, de quo tamen nihil loquitur ipsa definitio, saltem distinctè: præcipue quia proficisci passiones ab intrinseco & tamen tribui generanti, nihil aliud in re est nisi proficisci à principio, quod illas passiones non emanasset, nisi fuisset productum à generante. Quid autem hoc obstat vitalitati, si illa stat præcisè in hoc, quod est esse principium motus per se immanentis ab intrinseco.

CONTRA 2. Penamus per impossibile, animam rationalem esse à se, emanare tamen ex se potentiam intellectivam distinctam, illa emanatio non esset jam attribubilis producenti. Numquidne jam deberet esse vitalis? & cum hoc proficisci à generante, non inferat ullum influxum immediatum in ipsam emanationem passionum, sed illa emanatio est totaliter à forma, cur non motus ad illam emanationem, dicendus erit esse ab intrinseco adeoque vitalis.

CONTRA 3. Quia operationes intelligenti productæ ab intellectu, non producuntur, nisi ponatur anima, & tamen operationes illæ non tribuuntur ipsimet generanti. Ergo nec tribui debent emanationes potentiarum, cum utrobique, scilicet, tam ad operationes, quam ad emanationes, ponatur modus ab intrinseco.

Neque valet si dicas, perfici animam potentiis ideoque illarum effectum tribui generanti. Dicam enim & ego intellectum perfici operationibus. Dices perfici per accidens. Dicam etiam potentias perfectivas esse animæ per accidens. Dices qui dat esse, hoc est generans, vel producat, dat consequentia ad esse. Dicam & ego actus potentia, esse actus consequentes ad esse potentia. Denique quæcumque attuleris

† (1) 3

dispa-

disparitatem, illam ego accepto, & ex eo infero, te non recte explicasse hac definitione actum vitalem, quia non desumis illam ex ipsis terminis definitionis.

NON SATISFACIT 3. Quia hæc explicatio non ostendit cur ignis, cui intrinseca potentia est calefactiva, dum producit calorem, non agat vitaliter itemque dum se augmentat; nam augmentando se, movetur, & quidem non ab alio, sed à se, adeoque ab intrinseco illa augmentatio immanet illi.

RESPONDET recentior Suarez. Motum ignis se augmentantis non esse vitalem, quia motus ille non est immanens, nec talis suapte natura, sed solum per accidens, augmentatur enim per subministrationem pabuli.

CONTRA est. Tum quia augmentatio quæ est per subministrationem pabuli in nutritione est vitalis. Ergo ex hoc principio, quod ignis se augmentet, per subministrationem pabuli, si cætera adsint, nempe motus ab intrinseco, non desinet esse vitalis. Tum quia de hoc ipso quaeritur, quid sit esse istum motum suapte naturalem, ut illa talitas, fundet vitalitatem. Tum quia accrementum illud partis & materiae, quod accipitur per nutritionem, per Accidens accrescit, poterat enim primo informari ab Anima. Ergo illud incrementum non suapte natura, sed per Accidens est tale, & tamen illud incrementum habetur per actionem vitalem. Unde nova definitione explicandum venit, quid sit esse motum immanentem, non talem suapte natura, sed solum per Accidens.

EXPLICAT 2. Oviedo. Vivens esse illud in actu primo, quod est principium actionis, ex sua essentia immanens, quæ supponat præter principium activum & passivum, aliud principium illius, respectu cuius immanens dicitur. Explicat hanc definitionem suam in manifeste viventibus, nutritio, præter vivens, respectu cuius immanens dicitur, supponit materiam alimenti & alterationes, adeoque supponit aliud præter vivens; sensatio externa, supponit speciem impressam & præsentiam objecti, sensatio item interna, supponit sensationem externam, volitio intellectionem, intellectio speciem. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quia ultimo differentialis ratio viventis per hanc definitionem esset, supponere aliud principium præter passivum & activum; nam reliqua conveniunt essentiae unicuique, in emanatione suarum passionum. Sed in hoc non potest stare differentialiter ratio vitæ; quod ipsum probatur. Quia vita debet stare in aliquo ejusmodi differentiali, quod ipsum differentiale, importet principium operandi, ex ratione ipsa operandi, differens

ab aliis principiis. Non enim ratio vitæ, est aliquid passivum vel mortuum, sed hoc quod est præsupponere aliud præter principium activum & passivum, stare potest cum hoc, ne inferat operandi principium, differens à principiis mortuis. Neque enim illa præsuppositio alius principii, ex vi sui conceptus & verbis in definitione positis, infert quidquam exclusivum principii mortui, quid enim? Porro sicut malè assignaretur id pro ratione differentiali hominis, quod posset stare cum ratione bruti; ita nec rectè assignabitur pro ratione differentiali vitæ, quod posset stare cum principiis mortuis.

NON SATISFACIT 2. Quia sensatio vitalis, potest divinitus exerceri, sine ulla præsentia objecti, adeoque non supponendo aliud præter principium elicativum & receptivum. Neque valet si dicas quod supponeretur tunc concursus Dei indebitus; quia ex vi concursus indebiti, non sumitur differentialiter ratio vitæ, hic autem quaeritur de tali ratione, quæ adferat rationem vitæ.

RESPONDEBIS, quod supponere aliud præter principium activum & passivum, se solo, non fundet rationem vitæ, licet fundet in circumstantia principii operantis ab intrinseco & recipientis.

CONTRA est, quia ex hac responsione sequitur nullum dari prædicatum differentiale vitæ, à principiis mortuis distinctivum. Quod ipsum probatur; quia hoc quod est esse principium ab intrinseco, convenit alicui mortuo, neque enim ignis ab extrinseco movetur ad combustionem; hoc, quod est esse immanenter receptivum, convenit mortuo cæteroque igni, dum emanatum à se calorem, in se recipit. Hoc etiam quod est supponere aliud principium activum & passivum, stat cum ratione principii mortui, quid enim implicat. Ergo non adfers prædicatum differentiale vitæ.

NON SATISFACIT 3. Quia sequitur vi illius ignem se augmentantem vivere, nam in nutritione præter principium activum & passivum præsupponitur aliud nempe alimentum & alterationes, ita & in præsentia. Deinde sequeretur quod notitia, quam aliquis Angelus habet de se existente, non sit vitalis; quia per illum hic numero 29. intellectus & voluntas si sint accidentia superaddita non producuntur vitaliter, quia supponunt nudam animæ entitatem. Ergo cum etiam cognitio quæ cognoscit Angelus se existere, supponat nudam Angeli entitatem non erit vitalis, neque enim Angelus per superadditam speciem noscit se existere. Denique ex vi hujus explicationis sequitur, Deum non videre propriè, notitia sui, quod enim aliud principium supponit illa notitia.

Punctum Difficultatis 2.

Explicatur Ratio Vitæ.

EXPLICARI potest ratio vitæ, quod scilicet vita in actu primo nihil aliud sit præter principium, per quod subiectum, vel si mavis dicere substantia in suo esse connaturali constituta exercet operationes immanentes per se ab intrinseco; *Addo ly immanentes* propter dicenda ad objectionem primam; *Addo ly per se* propter dicenda de nutritione; *Addo ly ab intrinseco* propter dicta in præmissis. Pono autem loco generis ly principium potius, quam ly potentia eò quod possunt haberi aliqua per multos principia vitalia, quibus non competit ratio potentia, ut si quis defendat habitus acquisitos esse principia vitalia.

PROBATUR bonitas explicationis, qui convenit omni, soli, & semper proceditque per prima in hoc genere; Ut autem manifestius declaratur probatio, resolvendæ sunt difficultates, quas resolvì debere, in definitione principii vitalis supra monui.

Primò, ex vi hujus explicationis emanationes passionum non sunt vitales.

RATIO. Quia emanatio passionum non supponit subiectum in esse suo connaturali constitutum, sed constituit illud, & sic si calorem non emanaret ignis, non esset in suo esse connaturali, constitutus, emanationeque illa, primum, in tali statu constituitur.

Secundò. Ex vi hujus explicationis, salvatur ratio vitæ in Deo, quia & ipsæ exercet operationes suas per se ab intrinseco, processiones etiam Divinæ sunt immanentes, nec ab extrinseco Deus illas habet, & per se, non enim ex accidenti est, quòd Pater generet Filium.

Tertiò. Ex vi hujus explicationis salvatur, cur ignis non vivat augmentando se, vivat autem animal nutriendo se. Antequam ratio supponatur.

SUPPONO imprimis, in quo sint paria Nutritio & Argumentatio ignis. Paria sunt imprimis in hoc, quòd & forma Ignis ab intrinseco uratur & nutritiva ab intrinseco augmentatur. Paria sunt in hoc, quia nisi applicueris nutritivæ alimentum, non se nutrit: Paria sunt in hoc, quia si applicetur ignis jam productus in stupa alteri igni, non censetur movere se ab intrinseco ille ignis, ad illam igniendam stupam; sic etiam, si non per aggenerationem, sed per primam unionem, illi Materie alimentis forma unita fuisset, eo casu non se movisset ab intrinseco nutritiva, ad illam partem unendam. Paria sunt rursus in hoc: quia sicut hæc pars non est essentialiter aggenerata, sed poterat primò informari ab anima; sic nec iste ignis, qui est productus, necessariò producitur ab hoc igne, sed poterat ille prius & potius producere.

Denique in hoc paria sunt: quia si omnem perfectionem augmentationis haberet ignis, non se augmentaret: sic nec nutritiva nutrirer, si vivens, quiete possideret omnem suam perfectionem.

SUPPONO secundò, Quid alii præter jam dicta pro ratione adferant, cur ignis non vivat augmentando se. Quia scilicet ignis non per se, sed ex Accidenti se augmentat; quia scilicet non est in statu suo, unde hic qui est supra aërem, non se augmentat; sed hæc ratio non satisfacit. Tum quia ut dicebatur, si anima haberet id totum, per se, quod, per nutritionem habere posset, non se augmentaret, & tamen hoc non obest, quominus nutritiva dicatur vitaliter agere. Ergo etiam ex hoc præcisè, quòd ignis non se augmentaret, si esset in loco sibi debito, cum se de facto augmentat, non deicitur illud augmentum à ratione vitalis. Tum quia indigeret hoc ipsum probatione, quòd supra aërem sit ignis, quòd illic non combureret stupam &c. similia. Tum quia si ex hoc deici potest, aliquid à ratione vitalitatis, reddique quasi per accidens agens, quia non habet illam perfectionem, quam requirit illa actio, sequitur etiam nutritionem & intellectionem non esse vitales, quia intellectionem producit intellectus, eò quòd intra se non habeat perfectionem illius, & nutritio ponitur ex suppositione, quòd non habeantur nutritivæ; neque valet si dicas, quòd data sit & provisà à natura potentia nutritiva, ad hoc, ut nutriat, haberetque id per se; jam autem non habet id ignis per se, ut se augmentet; Non inquam valet si dicas: quia quo fundamento dices à natura datam nutritivam, ut adgeneret partes, eo fundamento dicam, dari à natura igni vim combustivam, ut se propaget: da ergo rationem ulteriorem, cur se non propaget ignis vitaliter. *His suppositis*

RATIO formatur: Cur scilicet ignis augmentando se non vivat; quia scilicet augmentatio facta per ignem non fit actione immanenti, sed transeunti, adeoque actione non fit, in ipso augmentante sed extra. Jam autem augmentatio per adgenerationem fit actione immanenti ab intra. Rursus dici potest, ideo non est vitalis augmentatio facta ab igne: quia non est per se, sed per accidens illa augmentatio. Quod ipsum probatur: quia ex accidenti est, quòd conjugatur ignis genitus generanti, tam enim benè potest generare illum non uniendo illum sibi, quam uniendo; Jam autem per se nutritiva augmentat, quia per se producit unionem, & nisi produceret, non censetur nutritiva, egisse. Quod ipsum sic ulterius explanatur. Secundum eandem vim agit ignis, sive uniat sibi alium ignem sive non uniat, nec ulla est differentia in agendo, vel ratione principii, vel ratione termini, aget enim semper, secundum eandem vim ignitivam seu combustivam. Apparet ergo quòd illa augmentatio, non fit per se, sed si nutritiva

tiva non adgeneraret quidquam, non censeretur egisse, nam actio illius, est productio unionis vel formæ sibi additæ, si sit materialis, quæ ferri non potest, nisi sibi uniat & adgeneret partem. Erit ergo per se, non per accidens motus in nutritiva ad suum augmentum, adeoque motus vitalis, quia hic debet esse ut dictum per se.

ADDO. Ad non pauca in hac materia solvenda. Quod immanentia requisita ad vitalitatem, duplex possit spectari; quædam immanentia ipsius termini, & hanc diximus supra, non esse de ratione vitalitatis, potest enim produci terminus vitaliter, & non uniri principio producenti; alia est immanentia ipsiusmet actionis, si ve illius terminus uniatur, si ve non, & hanc immanentiam requirimus ad vitalitatem; nec obest quod aliqua actio vitalis exigit immanentiam etiam termini, hoc enim est ex accidenti, nec requisitum ex prædicato vitalitatis, ad eum modum, quo generatio interdum vitalis exigit productionem formæ v. g. materialis, non tamen id exigit ut sic, omnis generatio vitalis.

Quartò ex vi hujus explanationis solvatur; quare motus gravium deorsum, non sit vitalis. Quia in materia, duplex est sententia prima, quæ motum gravium rejicit non in aliud, nisi in ipsam gravitatem, medium aptum, & negationem obstaculi, quam sententiam defendere quis posset, etiam posito, quod motus progressivus involvat modalitatem, idque ex eo, quia à non esse moti, ad esse moti progressivè, non transitur per ipsum medium aptum, & negationem obstaculi, secus hic. Et in ista sententiâ facile est salvare, cur motus gravium non sit vitalis: quia non competit subiecto, in suo esse connaturali jam constituto: quando enim grave non est deorsum, non censeretur, esse, in suo esse, constitutum, connaturale. Secunda sententia motum gravium cum aliqua modalitate salvat, & in hac sententia, ideo motus ille, quamvis sit immanens, non esset tamen vitalis, quia non esset per se, ideo enim principiatur, quia ponderosum est in statu violento. Quæ autem fiunt ratione violentiæ, non sunt per se. Non autem propter aliquam violentiam, potentia nutritiva, augmentat vivens.

Quintò solvatur, cur motus ille, quem causat magnes attrahens ferrum, non sit vitalis, si enim sit res de ipsa qualitate tractiva, illa non est vitalis, quia spectat ad esse connaturale magnetis, et si illam non haberet magnes, non censeretur esse constitutus in suo esse connaturali. Si autem sit res de ipsa tractatione, hæc etiam non est vitalis, quia non est immanens actio sed transiens.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Si ad vitalitatem, ut dictum supra, non requiritur immanentia producti

termini, sequitur inexplicabile esse, qualem nos immanentiam concedamus.

RESPONDETUR. Immanentia à nobis concessa non aliud est, quam quod actio vitalis, non fiat extra subiectum, nec sit illic ubi non est subiectum. Hinc actio illa qua producitur v. g. intellectio, quia non extenditur extra subiectum vitalis est. Casu autem quo sentiret aliquis identificare actionem termino vitali, adhuc diceret esse illic immanentiam, quia ipse terminus non producitur extra subiectum, quidquid sit quod uniatur intellectui, vel non.

OBJICIT 2. Oviedo. Demus vivens, cui à primo instanti productionis suæ, debita sit cognitio alicujus objecti, sicut de Angelis multi sentiunt. Hæc actio pertinebit ad naturalem constitutionem viventis, & erit vitalis, Ergo non est de ratione actionis vitalis, esse distinctam ab illis, per quæ vivens, in suo esse naturali constituitur. Quod sit illa actio vitalis, sic probat; Quia omnes cognitiones censentur esse vitales, quod etiam illa cognitio sit permanens ad naturalem constitutionem viventis probat, inquirendo, quid sit illud quod pertinet ad constitutionem naturalem viventis.

RESPONDEBIS. Id quod pertinet per modum habitus, urget quid est hoc aliquid pertinere per motus habitus, quid pertinere per modum actus.

RESPONDETUR. Illam actionem esse quidem vitalem, non esse tamen pertinentem ad constitutionem ipsius Angeli, quia ea quæ constituunt subiectum in esse naturali, debent esse per modum principiorum & potentiarum, si ve agendi si ve patendi: Actio autem seipsa non est talis. Deinde habetne Angelus totum suum esse completum, antequam agat illam intellectiōem vel non habet; Si habet, ergo illa actio non spectabit ad complementum esse ipsius, sed erit effectus illius esse; Si autem non habet totum complementum, Ergo illa actio requiretur ad sui productionem tanquam ipsius potentiæ agendi completivum. Illustrari hoc potest Instantia ex esse supernaturali desumpta, in quo non constituitur homo per Actionem supernaturalem, sed per infusionem, quæ se habeat per modum potentiæ; Quod ipsum ulterius in hoc fundatur, quia cum esse sit radix ad operari & pati, id quod constituit aliquid in esse naturali, debet etiam constituere in posse operari vel pati, si ve illud operari patique sit rigorosum, si ve minus rigorosum. Cum ergo actio quæ talis, non constituat in posse operari subiectum, nec constituat in posse pati, sit ut non requiratur ad constituendam rem in suo esse naturali. Præter ipsum esse, præter potentias & principia operandi, ad esse connaturale rei, spectant proprietates, qualis est in materia quantitas, in igne calor &c. Cum ergo prima Cognitio Angelica, neque sit esse Angeli, neque potentia operandi, neque proprietas emanata, sit ut illa prima cognitio

gnitio non spectet ad esse connaturale Angel.

OBJICIT 3. Idem. Essentia Dei ex communi Theologorum sententia consistit in cognitione, hæc cognitio Dei pertinet ad naturalem constitutionem Dei, & est vitalis. Ergo non est de ratione operationis vitalis esse distinctam ab illis, quæ vivens constituunt in sua naturali dispositione.

RESPONDETUR. Quod primò essentialis conceptus Dei in ratione essentia, non sit intellectio, de quo agitur in prima parte, sed independentem ab hoc principio solvi potest adlata difficultas. Si qui censent quòd esse intellectivum sit de primo essentiali conceptu Deitatis in duplici sunt sententia. Aliqui enim admittunt intellectionem in actu primo, aliqui negant: In principiis horum, qui admittunt intellectionem in actu primo, facile est ostendere vitalitatem in Deo cognitionis, quia ex modo nostro concipiendi in suo esse constituitur Deus illa intellectione in actu primo, hinc quando intelligitur exercere intellectionem in actu secundo, non censetur aliquid ponere, per quod ex modo concipiendi constituitur in esse suo. In principiis autem istorum qui negant reperiri in DEO ullo modo actum primum intelligendi, nondum urget difficultas, quia talem conceptum Dei constituendo, non constituunt in Deo vitam nisi in actu secundo, si non ponunt vitam nisi in actu secundo, debent constitutum vitæ in actu secundo ponere ipsam scilicet vitam in actu secundo, non obest autem ut vita in actu secundo, per aliquid quod est actio, constituitur, imò ita constitui debet. Ex vi cuius doctrinæ: distinguendum est consequens, Ergo non est de ratione operationis vitalis esse distinctum ab illis, quæ vivens constituunt, si illud vivens sit vivens in Actu secundo non nisi. Concedo, si sit vivens etiam in Actu primo; Nego. Quod si ulterius quærat, quare vivens in actu primo non possit constitui vitali cognitione & possit vivens in Actu secundo.

RATIO est; Quia si vivens in actu primo constitueretur vita in actu secundo, & esset vivens in actu primo ut supponitur, & non esset vivens in actu primo, quia non haberet constitutum in actu primo, sed id, quod est formalissimè, actus secundus. Ex quo etiam inferes vitam in actu secundo, debere constitui aliquo vitali.

ADDO, Verum quidem esse, quod quamvis nos ponamus in Deo vitam in actu primo non sequatur illum re ipsa habere vitam in actu primo; Quia tamen huius cogitationis nostræ datur in Deo fundamentum, ratione huius fundamenti, salvamus in Deo rationem vitæ in actu primo. Dici etiam posset, quòd Deus, sit vita in actu secundo, eminenter, hoc est, habens hoc totum, quod habet perfectissimus actus vitalis

creatus, licet non habeat conditiones imperfectionem involventes, quales sunt proficisci à principio intrinseco ex suppositione substantiæ in suo esse constitutæ, habendo id, sine tali proficisci, quod in creatis habetur ratione dicti proficisci.

INSTABIS primò ex eodem, quòd non implicet creatura seipsa intellectiva illa cognitio erit constitutiva substantiæ, vitalis tamen erit, Ergo de ratione vitalitatis, non est supponere substantiam, in suo esse connaturali constitutam.

RESPONDETUR. Negari ut plurimum Antecedens, sed illo transito proportionaliter addicta supra distinguitur Consequens, Ergo de ratione vitalitatis non est supponere substantiam in suo esse naturali constitutam supposito, quod sit vivens in actu primo realiter. Nego Consequentiam supposito quòd sit ipse actus secundus. Concedo Consequentiam.

INSTABIS secundò. Anima est quid vitale, & tamen in suo esse connaturali, non supponit, sed constituit hominem, Ergo non est bona adlata explicatio vitalitatis.

RESPONDETUR. Non negari per nos, quòd id quod est vita, possit esse pars constitutiva alicujus, sed tantum dicimus quòd vitalis operatio, præsupponat principium jam in suo esse constitutiva, quod salvatur, quamvis idem principium sit pars constitutiva; adhuc enim ad operationem vitalem, supponetur substantia in suo esse constituta.

INSTABIS tertio; Ergo saltem non datur definitio communis illis viventibus, quæ vita ipsa constituuntur, aut componuntur, siquidem ante illam compositionem vel constitutionem, non intelligitur substantia, in suo esse constituta.

RESPONDETUR; Concedo, quòd ante illam constitutionem, quæ sit per ipsam vitam in actu secundo, non intelligatur res realiter constituta, sed imprimis antecedit illam ratione actus primus vivendi, ut dictum. Deinde ipse actus secundus, per prius est constitutivus, posterius autem ratione, habet formalitatem actus secundus vitæ, in illo quod constituit. Denique ut dixi, quia supposito quòd per vitam in actu secundo aliquid constituitur, adhuc operatio vitalis non supponetur ad substantiam in suo esse constitutam.

Ex his ulterius, Colliges quid sit vitalitas in actu secundo; quòd scilicet sit motus immanens, per se ab intrinseco, profectus à principio, substantiam in suo esse connaturali constitutam proportionaliter supponente.

Dixi proportionaliter, quia intellectio Divina & intellectio creata identificata noscenti si daretur, non præsupponeret realiter actum primum vivendi distinctum ab actu vivendi.

DIF-

DIFFICULTAS II.

De iis quibus competit Vita.

Quia aliquid proficiscitur ab eo, quod est vita, non continuo debet inferri, quod sit jam vitale, alias cum omnia proficiscantur à Deo, qui est vita, omnia deberent esse vitalia, ad quod in dicendis infra attendendum erit.

Punctum Difficultatis I.

Species suntne quid vitale?

DE duobus hic inquiri potest; Imprimis an Species vitaliter producantur? Secundò, an sint ipsæ vitales?

Quod ad primum attinet; An scilicet vitaliter producantur, pensandæ sunt rationes utriusque partis?

Quod producantur vitaliter:

RATIO prima adferri potest; Quia illa productio speciei est immanens natura sua, neque enim intellectus potest connaturaliter producere species in extraneo subiecto.

RESPONDETUR; Præcisè talis immanentia, se sola, non arguit utilitatem vitalitatem; hinc tali immanentia etiam ignis in seipso producit calorem.

RATIO secunda. Quia Actio illa productiva specierum, proficiscitur à principio intrinseco per se: quia quamvis eo casu suppleat intellectus vicem objecti, facit id tamen nomine proprio ad eum modum, quo Deus supplet in generatione ex putri defectum causæ univocæ, non tamen tanquam instrumentum causarum secundarum, non enim ab illis accipit vim operandi, sed id facit nomine proprio.

RESPONDERI potest. Ad hoc ut dicatur aliquid agere nomine proprio non tantum requiritur, ut nō agat virtute, ab alio, cuius nomine agit, communicatā, sed etiam ne agat virtute propria in bonum aliū ordinatā; & ita calor in se spectatus virtute propria agit, est tamen instrumentum, quia agit in bonum ignis. Jam autem intellectus producat species, quamvis agat virtute propria, quia tamen illa virtus est communicata in bonum objecti, quod se ipso, illas species producere non potest, fit ut in illarum productione, non dicatur intellectus per se ab ab intrinseco agere. De DEO disparitas est; Quia DEUS non ordinatur ab alio & propter aliud, sed omnia propter se facit; imò hic ipse medius terminus probat oppositum: Quia supplet vicem causæ univocæ non agit vitaliter, Ergo nec intellectus ager vitaliter, supplet vicem Objecti.

INSTABIS. Eodem titulo dici posse, quod intellectus producendo intellectionem gerat vicem objecti.

RESPONDETUR Negandò sequelam. Tum quia intellectus habet ex se ipso vim producendi intellectionem, unde eam potest producere non existente Objecto, non habet autem vim objectum producendi intellectionem sine intellectu, Ergo apparet maiorem esse connexionem intellectionis cum intellectu, quam cum Objecto, in ratione effectivi: quomodo ergo poterit intellectus dici gerere vices objecti in productione intellectionis. Tum quia Objectum sine concursu potentia, producit sibi species, ut patet in speciebus materialibus: Si ergo habet vim objectum producendi species, & non habet vim se solo producendi intellectiones, fit ut intellectionem faciens Intellectus, non censatur agere, vi sibi tributa in Objecti bonum, sed in proprium bonum: faciens autem speciem, præstabit, vi sibi tributa, in bonum Objecti.

Quòd autem productio specierum non sit vitalis.

RATIO prima adferri potest; Quia si ipsum Objectum immediatè produceret illas species, illa productio non esset vitalis, Ergo etiam cum producat illas Intellectus, erit productio non vitalis.

RESPONDETUR. Retorquendo in primis argumentum, partem nutritione acquisitam potuisset habere vivens in instanti generationis, nec illam tunc vitaliter acquisisset. Ergo cum illam etiam nutritione acquirit, vitaliter non acquirit. Deinde quoad modum, quo Objectum producat suas species, non se accommodat intellectus objecto, nam objectum agit actione transeunti, immanenti autem intellectus agens. Quod si non sequitur modum agendi objecti intellectus agens, fit ut ex vi modi agendi sibi proprii, possit vitaliter agere.

RATIO secunda adferri potest: Quia concursus specierum ad cognitionem non est vitalis, quia fit nomine objecti, Ergo etiam & concursus intellectus agentis, ad productionem speciei, non erit vitalis: fit enim etiam nomine Objecti.

RESPONDETUR. Quomodo solvendum sit Argumentum constabit, ubi inferius agatur, de Antecedenti, his nihilominus pensatis.

DICENDUM est: Etiam productionem specierum esse vitalem: Probatur ex dictis. Quia ex una parte procedit à principio per se, immanenter, & ab intrinseco, ex alia parte nihil obest quominus illa productio sit vitalis, nam quā vis producantur nomine objecti, sufficit quod in modo producendi, non accommodent sese objecto, ut supra dictum.

Quod ad secundum attinet: An scilicet ipsa species sint principium vitale. In hoc puncto divisi sunt Authores, negat Arriaga & Oviedo, affirmat recentior Suarez, Pensandæ erunt rationes utriusque partis.

Pro parte negativa RATIO prima est ex Arriaga;

ga; Quia species non operantur ut virtus intrinseca animæ, sed ut vicariæ objecti. Ergo cum per illas potentia operatur, non operatur ab intrinseco.

RESPONDETUR; Distinctas esse has duas propositiones; quod non est virtus intrinseca animæ, non potest operari vitaliter; & hanc: virtus intrinseca animæ, non potest esse vicaria objecti. Prima est vera propositio, secunda est falsa, quia certè nomine objecti producit intellectus species, & tamen intellectus est potentia vitalis. Ergo ex hoc solo titulo, quia scilicet fit aliquid vicem supplendo objecti, non deicitur à ratione vitalis. Nego ergo consequentiam.

INSTAT Idem. Quia si objectum concurrat ad notitiam non concurrat ab intrinseco. Ergo nec species.

RESPONDETUR. Si objectum producat species, non producat vitaliter, & tamen hoc non obstante producit intellectus vitaliter species, ut ipse docet Ariaga. Ergo etiam poterit producere species, vitaliter cognitionem, quamvis non produceret illam vitaliter objectum. Deinde sicut quia non eodem modo, ut dictum supra, producuntur species ab objecto, producuntur vitaliter; ita quamvis id faciant species quod faceret objectum, quia id faceret species modo, alio, sit, ut adhuc essent vitales, & alio modo, hoc est, operantes vitaliter.

RATIO secunda ejusdem. Quia species per se non exigunt inhaerere potentia, à qua producuntur actus. Ergo per se non sunt virtus intrinseca Animæ. Antecedens probatur à paritate de speciebus materialibus, quæ etiam in medio reperiuntur.

RESPONDETUR, imprimis retorquendo argumentum. Per se species non exigunt produci ab intrinseco, de facto enim in Angelis create sunt à Deo. Ergo & productio specierum non erit vitalis, contra quam æstimet dici debere Ariaga. Deinde si per se, idem significat, quod universaliter loquendo, concedo, quod non exigant species in sola potentia esse, à qua producuntur; Concedo item quod hoc sensu, non exigant esse virtus intrinseca Animæ. Si autem ly per se significet, quod species, nec ex speciali ratione, possint inhaerere potentia, adeoque, quod nunquam possint esse virtus intrinseca Animæ, in isto sensu falsa est propositio. Paritas ducta à speciebus materialibus non tenet. Quia non est licitum argumentari, à modo causandi unius ad modum causandi alius; & cum constet actione transeunti produci species materiales, idque ab objectis etiam non vitalibus, bene arguitur illas non esse vitales, quæ ratio non militat pro speciebus, actione immanentis productis.

INSTAT primò idem. Quod species spirituales reperiuntur in ipsis principiis cognoscentibus, id est, omnino per Accidens, nec fundare

potest intrinsecitatem specierum. Quod ipsum probatur; Quia id totum est ex defectu spiritualis subjecti, in quo recipiuntur. Si enim inter unum & alterum Angelum interponeretur res spirituales, non video, inquit, cur per illud medium ab uno Angelo ad alium non possint mitti species.

RESPONDETUR. Hæc omnia dici arbitrariè; Nam quamvis id non implicet contradictionem, non sequitur id esse connaturale, quantumvis poneretur medium spirituale.

INSTAT secundò Idem. Species ut concurrat, non requirit unionem sui cum potentia, sed sufficit ut sit contigua potentia. Sicut enim objectum contiguum v.g. sapor, potest causare sui perceptionem, & universaliter in causis, sufficit ad actionem contiguitas, ergo etiam ut species concurrat cum potentia, sufficit illam esse contiguam vel penetratam cum potentia.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argumentum, quod probat habitum naturalem, quem tenet Ariaga, esse principium vitale, posse esse non nisi contiguum potentia; casuque quo distingueretur intellectus ab anima, posset non esse principium vitale, quia posset esse, non nisi quod contiguum. Deinde directè nego Majorem, quæ positivè non probatur. Deinde diceret aliquis, quod ut salvetur intrinsecitas agendi, debeat esse principium non solum contiguum: hinc si species sint vitales, non debent esse tantum contigua, tu autem aliunde non probas, species non esse vitales.

INSTAT tertio. Unus Angelus penetratus cum alio, posset immediatè concurrere ad sui cognitionem in illo Angelo, quem penetravit, Ergo apparet objectum ad concursum exhibendum non exigere unionem cum potentia, nec ergo illam exiget ipsa species, cum non sit necessaria major unio speciei, quàm objecti.

RESPONSUM supra, quod modum agendi Objecti, non debeat in omnibus imitari virtus vicaria Objecti. Et certè cum illa virtus objecti sit Accidens, accidentia autem naturaliter sine subjecto existere non possunt, hoc ipso exigent uniri potentia, tanquam subjecto; habereque intrinsecitatem sufficientem, cum tamen objecta noscenda, sæpe, non sint accidens.

RATIO Tertia ex Oviedo est. Actus vitales non inhaerent, neque speciebus uniuntur, nec alicui cum quo species unum totum essentiale constituent, cum enim species accidentia sint, cum suo subjecto, in quo recipiuntur, unum totum essentiale constituere non possunt; jam autem ad vitalitatem requiritur, vel uniri principio, à quo producitur, vel cum aliquo, quod se habeat per modum compartis, in ordine ad totum substantiale.

RESPONDETUR; Imprimis ostendendo hoc argumentum ad principia ipsius Oviedo, docet enim ille hic puncto tertio, numero secundo, dato,

dato, quod potentia animae sint superadditae realiter, & non recipiant in se actus vitales, nihilominus dici debere vitales, non quidem vitalitate formali & primo per se, sed saltem vitalitate animae ad quam juvandam producantur potentiae, cur ergo eadem vitalitate non gaudebunt species ipsae. Deinde nego esse necessarium ut omni principio vitali, quod habet vim concurrendi, cum alio principio ad actum vitalitatis recipiantur actus vitales, sed sufficere ut recipiantur in alio comprincipio, quod rationem principialis habet, qualis est intellectus, poteratque bene provideri à natura ne recipiantur intellectiones in speciebus, quia cum species non sint noscitivae, non depolseunt specialiter, ut illis notitiae uniantur.

RATIO quarta est. Si sola species per se operaretur, illa cognitio non esset vitalis. Ergo apparet speciem non esse vitale principium.

RESPONDETUR. Nego Antecedens. Nam tum Deus suppleret defectum intellectus, & ex alia parte ad vitalitatem sufficit, unum esse principium vitale. Et sic visio beatifica est vitalis quamvis lumen gloriae non sit vitale. Item quando actus amoris elicitur, cum solo auxilio extrinseco, illo casu auxilium non est vitale, & tamen sequitur actus vitalis. Deinde sicut tu diceris intellectionem productam sine specie impressa, Deo defectum speciei supplente, esse nihilominus vitalem: sic & in praesenti, quamvis sola species concurreret, & Deus suppleret concursum potentiae, adhuc posset dici ille actus vitalis.

RATIO quinta est. Duae sunt tantum species manifestae viventium. Primo viventium per introfufceptionem alimenti, ad hanc speciem non possent revocari species utpote quae non vegetantur. Alia species est viventium noscitivorum, ad hanc etiam speciem non potest revocari, quae etiam nihil noscit: Ergo apparet speciem impressam non esse quid vitale.

RESPONDETUR negando Antecedens. Nam etiam voluntas est principium vitale, & tamen nec alitur, nec noscit, utpote caeca. Commodius ergo dividetur vitale in introfufceptivum alimenti & motivum intentionaliter, tale autem erit motivum, etiam species.

Pro parte Affirmativa Primum Argumentum est. Quia species sunt principium agendi. Rursus non producant nisi immanentes operationes, non enim alias quam quas producit intellectus, producant item per se: quia definitivè ad hoc ordinantur; nec producant intellectiones ex suppositione alicujus violentiae. Producant etiam ab intrinseco, quia non aliunde sed à sua natura, supposito, quod producantur, vim agendi habent.

RESPONDETUR. Argumentum probare multum. Quia etiam species materiales producantur ab Objectis, & agunt, & actiones immanen-

tes agunt & per se &c. & ab intrinseco, neque tamen sunt vitales. Quod si dicas produci illas ab extrinseco, id non obest: quia anima rationalis producit etiam ab extrinseco, Deo creatore, & tamen non definit esse quid vitale, & si creatam animam in caelo transmitteret Deus per medium, per hoc ipsum non desineret esse vitalis. Ergo idem dicendum esset de specie materiali, quod scilicet sit principium vitale. Absolutè tamen loquendo non potest dici species materialis vitale quid, alias ab objecto non vitali, utpote ignobiliore, produci non posset.

Secundum Argumentum est. Si aliquid vitalitatis specierum obfaret, obfaret hoc, quod loco objecti concurrant; Sed hoc non obstat: quia intellectus agens, loco Objecti producit speciem, & tamen productio illa est vitalis: Ergo quod loco objecti concurrat, non officit, quominus sit species principium vitale.

RESPONDETUR. Hanc potius esse rationem, quia scilicet nullum est fundamentum tribuendae illi vitalitatis.

Tertium Argumentum est. Si gratia produceretur à nobis, non haberemus ullum fundamentum illam non esse vitalem: Ergo idem dicendum de speciebus, quae à nobis producantur.

RESPONDERI potest de facto & gratia & supernaturales habitus infusi & acquisiti, educuntur de potentia animae obedientiali neque tamen sunt quid vitale. Nam quamvis educantur à Deo, non obest vitalitati, sicut nec obest quando anima creatur: Ergo idem dicendum esset de speciebus. *His pro utraque parte pensatis, nihilominus*

DICENDUM est. Species impressas non esse quid vitale.

PROBATUR. Quia quod non est principium operandi ab intrinseco, non est principium vitale. Species non sunt principium operandi ab intrinseco quod ipsum probatur. Quia non coëfficiunt intellectionem ut probabile est, de quo infra, sed nonnisi complent potentiam intellectivam, quae autem non agunt in aliquo genere, non possunt dici in illo genere operari vitaliter.

Punctum Difficultatis 2.

Quid sentiendum de Habitibus?

POTEST esse res de Habitibus naturalibus & supernaturalibus.

Quod attinet ad Habitibus naturales. Illos esse vitas censet Ariaga & recentior Suarez, negat Oviedo. Quod etiam habitus supernaturales sint vitales inclinat Ariaga, negat recentior Suarez, & quidem non est difficultas, an productio habituum naturalium sit vitalis. Probatur enim esse vitalem iisdem rationibus, quibus probatur esse productionem specierum esse vitalem, sed est difficultas de ipsis habitibus, an illi sint vitales.

DICEN-

DICENDUM est primò. *Habitus naturales esse formaliter vitales* in sententia quæ illis tribuit concursus effectivum in actus.

PROBATUR 1. Si daretur intellectus distinctus ab anima, esset potentia vitalis, Ergo & habitus; neque obest quod habitus naturalis, det nonnisi facile posse, hoc enim ipsum in argumentum accipitur, cur scilicet aliquid exiguum nonnisi ad facile posse, nõ possit esse principium vitale, sicut intellectus distinctus realiter. Non quod censeam distinguente realiter potentias ab Anima, requiri intellectum ad facile tantum posse. Sed argumentum procedit à pari. Intellectus distinctus realiter si daretur, quamvis non requireretur tãtum ad facile posse, nihilominus foret vitalis. Ergo & habitus Naturales distincti realiter, quamvis requirerentur tantum ad facile posse, esse possunt vitales. Nec enim est major unius quàm alterius ratio.

PROBATUR 2. Quia tota definitio principii vitalis convenit habitui acquisito, si enim aliqua particula non conveniret illi, maximè non conveniret illi, ly per se operari, cum requiratur nonnisi ad facile posse; sed etiam hæc particula illi convenit; qui etiam habitus non ex accidenti, sed per se habet, ut facilius: & sicut non obest, quamvis una potentia non faciat, quod facit potentia alia, ita nec oberit, quod habitus det nonnisi facile posse, quamvis alibi potentia dent simpliciter esse.

PROBATUR 3. Quia nihil impedit, ut habitus acquisitus sequatur conditionem principii, quod est quid vitale, nempe vel ipsi actus, vel potentia, quæ in actibus intentionalibus, exercet sese.

OBJICITUR 1. Habitus non operatur per se immanenter, quia eandem actionem, posset intellectus verbi gratia se solo producere, quem producit cum habitu. Ergo habitus non est principium per se agendi.

RESPONDETUR. Habitum non esse principium per se agendi, hoc est necessario requisitum; esse tamen principium per se agendi facilitando; parumq; refert quod eandem actionem possit ponere intellectus sine habitu, sufficit enim quod non possit ponere eodem modo, sicut vivens posset habere eandem partem materiae habere acquisitam non vitaliter, & tamen hoc non obstat, ne aliàs eam possideat acquiratque vitali modo.

OBJICITUR 2. Motus lapidis deorsum non est per se, quia fit nonnisi ex eo, quod lapis sit in statu violento, Ergo & actio habitus, non est per se, quia est supposito nonnisi quod sentiatur difficultas.

RESPONDETUR; retorquendo argumentum; actus imperatus nõ fit nisi ex suppositione, quod ponatur imperans, iudicium non formatur nisi ex suppositione primæ operationis, nec quidquam amatur nisi ex suppositione propositionis objecti, & tamen omnia illa possunt esse vitalia,

Ergo idem in præsentì dici poterit, unde in forma negatur consequentia, nam non omnis suppositio facit, nec actio aliqua sit vitalis, vel certè ex dictis distinguitur consequens, Ergo & actio habitus non est per se, hoc est non est simpliciter & necessariò requisita concedo, non est per se in ordine facilitandi. Nego.

OBJICITUR 3. Nulla est necessitas multiplicandi vitalitatem, sicut autem non multiplicanda entia, ita nec principia vitalia.

RESPONDETUR; esse necessitatem, quia tota definitio vitalis principii competit habitui. Non potest quidem dici habitus vita, quia neque est vita vegetativa, neque sensitiva, neque rationalis, cum ipse habitus non sit anima, potest tamen dici vitalis, quia illi, non quidem vitæ tamen vitalis competit definitio, ad eum modum quo unio vel substantia modalis, non est quidem substantia completa, nec incompleta, quia nec est forma v. g. anima, neque materia, est tamen aliquid substantiale, quia illi substantialis competit definitio.

Quod attinet ad habitus supernaturales.

DICENDUM est; *Habitus supernaturales infusos, non esse vitales.*

PROBATUR 1. Quia statuenda est aliqua regula certa taxans vitalitatem in principiiis, hæc autem non est alia, nisi quod aliquid sit vita, vel productum ab ipsamet vita, tanquam aliquid subordinatum & provisum ab eadem, ad agendum: hæc enim duo, salvant id, quod est operari ab intrinseco, hoc est quod sit aliquid vel anima, vel ab anima productum; maximè enim est intrinsecum, anima, & per quod anima, tanquam per aliquid sui, agit; Jam autem principium per se infusum, nec est anima, nec producit ab anima.

PROBATUR 2. Quia habitui infuso non competit intrinsecitas, adeoque nec definitio habitus; non competit inquam intrinsecitas, quia est merè ab intrinseco, habetque se ut species materialis ab objecto producta, in ratione extrinseci principii.

PROBATUR 3. Quando assumeretur lapis per potentiam obedientialem ad producendam v. g. visionem Dei, potentia illa obedientialis, non operaretur ab intrinseco, & tamen illi potentia obedientiali, jam non esset supra naturam, operari supernaturaliter; sicut nec ipsi principio supernaturali, est supra naturam, operari supernaturaliter. Ergo sicut in potentia obedientiali quæ tali, operari illud, non fundat intrinsecitatem requisitam ad vitalitatem, ita nec fundabit in habitu supernaturali infuso.

OBJICITUR 1. ex Ariaga. Habitus supernaturales sunt determinati ad operandum, intra proprium subiectum, exigunt item per se esse in illo, quamvis subiectum illos non exigat per se; hoc autem non reperitur, in aliis principiiis non viventibus. Ergo apparet, habitus supernaturales infusos, esse quid vivens.

† (K)

RESPON-

RESPONDETUR. Majorem esse similitudinem habituum supernaturalium cum vita, quam cum aliis principiis non viventibus. Non esse tamen in illis talem similitudinem, quæ fundet prædicatum vitæ; quia deficiunt in principali, hoc est in esse ab intrinseco, & sicut impulsus magis accedit ad vitalia principia quam ad mortua, neque tamen impulsus est quid vitale, ita & in præsentia.

OBJICITUR 2. Actus supernaturalis est vitalis, Ergo & habitus productivus ejusdem.

RESPONDETUR. Actus supernaturalis, est vitalis, quia habet id prædicatum, cujus carentia in habitu supernaturali, facit ne habitus supernaturalis sit vitalis, nempe quia est ab intrinseco, cum tamen habitus supernaturalis, non sit ab intrinseco. Deinde quando plures causæ concurrunt ad eundem effectum, habentem diversa prædicata, non est necesse, ut omnes causæ illa prædicata contineant, sed sufficit ut contineant aliqua ex illis. Sic v. g. quando intellectus concurrat ad actum supernaturalem, sufficit ut alia tantum concussa sit supernaturalis. Rursus in sententia concedente concursum objecto cum potentia ad intelligendum, concursus objecti non est vitalis, sed solus concursus intellectus. Deinde quando Deus & Creatura concurrunt ad peccatum, adeoque ad defectuosum aliquid, sufficit, ut una causa sit defectuosa, & sic in reliquis. Cur ergo etiam non sufficiet, ut concursus intellectus ad actum supernaturalem sit vitalis, licet habitus supernaturalis simul concurrans, non sit vitalis.

OBJICITUR 3. Habitus supernaturales educuntur de potentia animæ obedientiali, Ergo sunt ab intrinseco.

RESPONDETUR. Hoc ipsum educi, non est sufficiens, ad vitalitatem; quia etiam calor productus ab extrinseco in vivente, producitur de potentia viventis, nec tamen est quid vitale. Sed quid sentiendum de habitu supernaturali acquisito? si producitur ab ipso principio elevato creato, poterit dici vitalis, non poterit autem esse vitalis, si à Deo ipso producitur ad exigentiam actuum, propter paritatem actionis, cum habitu infuso.

Punctum Difficultatis 3.

Quid sentiendum de motu.

Quod attinet ad motum localem. Illum negat esse vitalem Ariaga & Oviedo. Affirmat uterque Suarez.

ASSERO 1. *Potentiam loco motivam esse vitalem.* Ratio quia nostra sententia ut infra videbitur, identificat potentias animæ, quæ ipsa est vitalis.

ASSERO 2. *In Modalistarum sententia dicente motum localem esse ipsum exercitium potentie loco motivæ ad terminum, motus localis est quid vitale.*

RATIO. Quia nihil deest ad vitalitatem, cum sit ipsum exercitium potentie ab intrinseco.

ASSERO 3. *Impulsus qui producitur per motum impellentis vitalis produci actione vitali.*

RATIO. Quia tali motui nil deest ad vitalitatem.

ASSERO 4. *Impulsus productus non medio motu, sed media sola gravitate vel aliquo alio simili non produci actione vitali.*

RATIO. Quia producitur à consimili causa, & consimili modo, quo illum produceret lapis, qui indubie illum non produceret vitaliter.

ASSERO 5. *Impulsus spectatus penes objectum recipiens extrinsecum, non esse illi subiecto vitali.*

RATIO. Quia ab intrinseco non se movet ad illum, estque illi violentus, de quo supra.

DICES 1. cum Oviedo. Eadem præsentia, per eandem indivisibilem actionem, per quam producitur motu progressivo, potest produci motu, quo corpus naturaliter descendit deorsum, quod enim anima rationalis moveatur, determinata proprio voluntatis actu, vel quod moveatur determinata motu naturali corporis gravis, cui est unita, non infert, neque inducit diversitatem actionis.

RESPONDETUR. Supponit imprimis argumentum, quod ideo vitalis sit ille motus, quia producit præsentiam, quod falsum est, ut scitum est ex Phisicis, quæ docent illam præsentiam esse meram formalitatem; sed etiam hoc transitio falsum est, quod eadem indivisibili actione uterque motus producatur, progressivus enim producitur ab anima activè: Posterior non nisi ab impulsu & gravitate. Neque valet quod principium pertingens ad actionem sit idem, sufficit enim quod non eodem modo se exercet. Transeat ergo, quod eadem præsentia diversis actionibus produci possit. Sed inde non sequitur, quod eodem modo semper producatur, unde si producitur modo hoc, in quo non habet se passivè sed activè anima, erit motus vitalis ille; sicut eadem pars materie, potest nutritione, hoc est vitali actione acquiri ab anima, & non vitali, dum scilicet illi primò unitur anima.

INSTABIS. Actus voluntatis idè manet five ex hac five ex illa actione proficiatur, Ergo & eadè actione exercebitur ille motus, five ad illum se determinet voluntas, five determinetur gravitate.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia cognitio, non est principium Phisicè & sufficienter influens, in volitionem; hinc ead. manet entitativè volitio, five sit hæc five alia cognitio; unde idem etiam erit motus, five ab hoc, five ab alio voluntatis actu imperetur, quia hi actus voluntatis, sunt solum conditiones, applicativæ ad motum; actio autem non distinguitur penes causas applicantes; hinc eadem erit ignitio, si applicet ignem Petrus five Paulus; sed non est ead. ratio de ipso principio influente, quia in casu objectionis, si motum principiat non nisi gravitas & anima ad illum non nisi se passivè habet, motus ille non potest esse vitalis, quia non est jam ab intrinseco. Contra motus qui principiat elicitivè ab anima, est actuale ipsius exercitium, nec se ad illum passivè habet, hinc poterit esse vitalis.

DICES secundò cum eodem: Eandem numero

mero praesentiam, quam acquiri motu progressivo, ponere potuisset in me aliud agens. Ergo actio productiva praesentiae non habet immanentiam requisitam.

RESPONDUM SUPRA. Vitalitatem motus, non esse pensandam ex termino, qui est praesentia, sed ex modo illius acquirendae; non eodem autem modo, acquireretur, si acquireretur impulsu v. g. quem produceret aliud agens, quia ad hunc non nisi passivè se haberet anima.

DICES TERTIO. Actio, quae manus seipsam movet, non est diversa ab actione, quae movet alterius manus; sed quae movet alterius manus, non est vitalis, Ergo nec prior est vitalis. Major probatur. Quia eadem est ubique praesentia, idem specie motus, idem specie subiectum, Ergo & actio eadem specie erit.

RESPONDETUR. Ad diversificandos hos motus, attendendum est ad diversitatem modi agendi; quia motus, quo se movet manus, est immanentia actione productus; motus autem productus in aliena manu, est productus actione transeunti.

DIFFICULTAS III.

Quale sit praedicatum Vitalitas.

ALIA phrasi idem proponi solet, an actum vitalem Deus, vel alia potentia, supplere possit. Plura huc concernentia videnda erunt, ubi agitur qualenam sit praedicatum libertas.

DICENDUM est primo. *Actum vitalem quatenus, seu entem à vitalitate, non posse à Deo suppleri, vel ab alia potentia distincta.*

PROBATUR PRIMO. Et esset ille actus vitalis, & non esset, esset quidem ut supponitur, non esset autem, quia non esset ab intrinseco, sed v. g. à Deo vel ab alia potentia.

PROBATUR SECUNDO. Hoc quod est me agere, non potest suppleri à Deo, quia & ego agerem & non ego; agerem ego quia dicis suppleri à Deo posse, hoc, quod est me agere, & non agerem ego, quia ageret non nisi Deus adeoq; non ego. Quod si hoc est me agere non potest suppleri à Deo, Ergo nec id, quod est agere ab intrinseco, potest suppleri à Deo. Quia hoc quod est me agere ab intrinseco, solis verbis differunt.

PROBATUR TERTIO. Hoc quod est supernaturale, non potest suppleri à naturali, ut scilicet praedicatum naturalis, sit idem quod praedicatum supernaturale, Ergo nec id quod est esse ab intrinseco potest suppleri ab extrinseco, tamen enim naturale supernaturale, quam intrinsecum extrinseco opponitur. Sed hoc quod est esse actum vitalem, est esse ab intrinseco, Ergo ab extrinseco suppleri non potest.

DICENDUM est secundo. *Actum vitalem non verentem vitalitatem, seu secundum solam entitatem spectatum, posse à Deo produci, vel ab alia causa, à Deo assumpta.* Est conclusio Thomistarum & Suarezii Disputatione 48. Sectione secunda num. 9. contra Amicum tomo 3. Disp. 2. num. 80. & alios.

PROBATUR I. Entia quae aliqua praedicata connotativa habent, possunt eadem in Entitate

manere, sublatis iis, quae connotant, modo connotatio illa, non inferat respectum secundo essentialem, qualem dicunt creaturae ad Deum. Sed praedicatum vitalitatis in actu v. g. cognitionis, est connotativum, & non fundat respectum secundo essentialem. Ergo potest manere eadem entitativè cognitio, & non dicere praedicatum vitalitatis. Major probatur inductione in omnibus connotativis entibus; Minor quoad primam partem probatur, quia vitalitas semper in obliquo importat principium intrinsecum, Ergo est praedicatum connotativum, & sicut relatio dicit esse ad, ita vitalitas dicit esse ab, adeoque utraque formalitas est connotativa. Quod autem non sit respectus ille secundo essentialis inclusus in ipsa entitate actus vitalis, inde probatur, quia non est major connexio actus vitalis quoad entitatem cum principio, quam sit connexio fundamenti quoad entitatem spectati, cum suo termino, connexio autem fundamenti non est talis, quin entitativè idem possit manere fundamentum, non posito termino Ergo. Tum quia sicut entia non sunt multiplicanda sine necessitate, sic nec multiplicandae formalitates ita essentielles, ut ipsis deficientibus stare non possit eadem entitas; nulla autem necessitas & nullum fundamentum ponendae talis connexionis inter entitatem actus vitalis & inter suum principium. Tum quia si perpendatur tota definitio vitalis ex illa non inferretur esse essentialem in ipsa entitate inclusam dependentiam à suo principio.

PROBATUR 2. Quia id non implicat contradictionem, ut patebit solutione Argumentorum.

PROBATUR 3. Restaurando rationes quas sibi opposuit Amicus, easqueolvere conatus est.

PRIMA RATIO. Libertas non est intrinseca actui libero, Ergo nec vitalitas.

RESPONDET AMICUS, Libertas nequit salvari nisi in potentia, liberum enim est quod potest operari & non operari, hoc autem non competit actui, qui dum est, non potest non esse, vitalitas autem maximè competit actui, est enim ipsum exercitium vitae ab intrinseco perficiens viventem, ultra perfectionem quam à generatione accepit. Contra; Tum quia actus liber est ipsum exercitium libertatis, & tamen potest salvari & poni illius entitas, & non à potentia libera, Ergo & actus vitalis poterit poni quoad entitatem, licet actus vitalis sit exercitium vitae. Tum quia posse esse & non esse est connotatum actus liberi, tale, ut esse possit ipsa entitas actus, sine tali connotato, Ergo & esse ab intrinseco, erit simile connotatum actus vitalis, ut sine eo possit esse, quoad entitatem. T. 2. posse esse & non esse infert extrinsecitatem libertatis, Ergo & esse ab intrinseco infert extrinsecitatem vitalitatis, & sicut exercitium actuale libertatis solvatur per Amicum non ratione actus, sed ratione potentiae, ita & exercitium vitalitatis, salvabitur ratione ipsius principii, non verò ratione actus.

Secunda RATIO est. Potest Deus producere actum vite vegetantis quoad totam suam intrinsecam perfectionem, Ergo & actum vite cognoscentis.

RESPONDET Amicus negando Consequentiam, disparitatem dat; Quia in entitate actus vite vegetantis, nullus includitur intrinsecus respectus ad principium vegetans, secus in entitate actus vite cognoscentis, idque ex eo, quod actus vite cognoscentis atque appetentis, sit ipse activus, vitalisq; conatus, & attentio potentiae, ad objectum, non per ipsam productionem formaliter, quae est sola dependentia actus a potentia, sed per entitatem ipsam actus. Actus vero vite vegetantis, solum dicit vel intrinsecum incrementum viventis, vel substantiae genitae, quae non nisi ratione solius productionis, dicit respectum ad principium vegetans. Unde hi actus dici possunt vitales, tantum extrinsecè ratione productionis. Actus autem vite cognoscentis, & appetentis sunt vitales intrinsecè ratione suae entitatis, ratione enim suae entitatis sunt vitales tendentiae. *Contra est:* Tum quia in entitate actus vite vegetantis, non includitur intrinsecus respectus ad principium vegetans, nec actus vite vegetantis est activus & vitalis conatus ad ponendum suum effectum, Ergo nec actus vite cognoscentis, consequenter si potest Deus producere quoad entitatem actum vite vegetantis, poterit & actum vite noscentis; Tum quia falsum est, quod actus vite vegetantis, dicat solum extrinsecum incrementum viventis, vel substantiae genitae, ut patet ex supradictis, etsi in vegetatione substantia producta non nisi ratione solius productionis dicit respectum ad principium vegetans, inferam etiam cognitionem non nisi ratione productionis, dicere respectum ad principium vitale. Tum quia actus vite vegetantis, non nisi extrinsecè est vitalis, Ergo & actus vite noscentis.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT 1. Amicus Auctoritatem S. Thomae 1. Parte quaest. 34. art. 1. ad 2. ubi definiens verbum, quod est actus ipse intelligendi, ait esse aliquid ab alio emanans, idemq; dicit de conceptu mentis, & quaest. 2. de Veritate art. 2. ad 5. Omne intelligere in nobis proprie loquendo est dicere, jam autem dicere importat habitudinem ad dicentem & 2da 2da. quaest. 23. art. 2. dicit de actu voluntatis esse, ut a voluntate operantis procedat.

RESPONDETUR. S. Thomam asserere quidem, quod verbum procedat ab alio, sed non dicit istud procedere esse insupplebilem rationem, & certe aliud est verbum est ab alio, & verbum secundum entitatem suam spectatum, non est nisi ab hoc alio. Primum dicit S. Thomas non secundum. Quod autem Amicus dicit de ratione amoris esse, ut sit voluntarius; si ly voluntarius significet, quod amor quoad entitatem non nisi a voluntate procedat, petit principium. Si autem ly volun-

tarius est amor, idem significet, ac, quod amor, natus sit procedere a voluntate, vera est propositio; sed nihil contra facit.

INSTAT idem. S. Thomas Activam dependentiam actus vitalis a potentia vitali, ponit in ipsa definitione actus vitalis, & tamen non ponuntur nisi essentia in definitione.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argumentum, ponitur in definitione veri actus conformitas cum objecto, in definitione actus liberi, ponitur posse esse non esse, in definitione relationis terminus &c. tamen nec veritas actui vero, nec libertas libero, nec terminus relationi est quid intrinsecum, Ergo quamvis actus vitalis per dependentiam ab intrinseco definiatur, non sequitur, ly illud: ab intrinseco esse, importare formalitatem, ipsi etiam entitati actus innexam. Directè autem ad argumentum dicitur, quod in definitione entium connotativorum, poni soleant, etiam ea, quae sunt extrinseca illi connotata, licet in definitione absolutorum id non fiat.

OBJICITUR 2. Si posset entitas actus vitalis quoad omnia intrinseca a solo Deo produci, sequeretur illam si uniatur potentiae vitali collaturam suum effectum formalem. Sequela probatur; quia si non conferret suum effectum formalem, vel ideo non conferret, quia activa productio potentiae vitalis, requiritur ut ratio formalis, quae potentia attingit suum objectum, vel saltem quia est conditio necessario praerequisita, ut potentia per suum actum, possit objectum attingere. Neutrum dici potest. Non primum. Quia potentia per id formaliter attingit objectum, quod est formalis attingentia objecti. Atqui non productio, sed terminus ipse productionis, est formalis attingentia objecti, quae est intentionalis tendentia in objectum, intentionalis autem tendentia, est formalis expressio, vel inclinatio in objectum, qualis non est ipsa productio; cum non sit aliud, nisi ipsa dependentia actus a potentia producente. Non etiam secundum, quia ipsa tendentia activa non requiritur ut ratio formalis attingendi objectum, non apparet cur requiri debeat, nisi ut uniatur actus cum potentia, quae unio fieret, quamvis a solo Deo produceretur ille actus.

RESPONDETUR. Distinguenda sunt haec propositiones: habere intellectionem & intelligere, habere intellectionem non aliud dicit, nisi unitum sibi esse actum intelligendi, hocq; verificabitur etiam posita intellectione in lapide. Intelligere autem praeter capacitatem subiecti, habentis illud actum, notat motum ipsum activum intelligentis, ab intrinseco, per se immanetem: hinc eo casu, illa intellectione producta, & posita v. g. in intellectu Petri, non esset Petrus intelligens, quia non se moveret ab intrinseco, ad illam productionem, quae activa productio non est quidem ratio formalis, tendentia in objectum, est tamen ratio formalis, salvativa vitalitatis; quae sola facit intelligentem, quia sola facit

est moventem se ab intrinseco, tales autem denominationes, non habentur nisi ex formalitate vitalitatis.

INSTA IDEM PRIMÒ: Quicumque actus potentiae cognoscentis, atque appetentis, dicit essentialem respectum, ad intrinsecum principium cognoscentis & appetentis, tanquam proprius effectus ipsius. Ergo neque secundum Entitatem à solo Deo producibilis est.

RESPONSUM supra retorquendo argumentum, de veritate, relatione, libertate. Ad maximum, actus notitiae, dicit essentialem respectum ad intrinsecum principium, tanquam ad connotatum, salvans suam vitalitatem: sed extra circumstantiam salvandae vitalitatis, non dicit respectum essentialem.

INSTA SECUNDÒ. Talis respectus ad potentiam, non distinguitur ab ipsa Entitate actus. Ergo si sine hac entitate producatur, non idem produceretur.

RESPONSUM supra. Quòd talis respectus secundum id quod dicit in recto, non distinguitur ab ipsa Entitate actus, secus secundum id, quod dicit in obliquo; & quòd ille respectus, ad potentiam, non distinguitur ab ipsa entitate actus, in circumstantia retentae formalis vitalitatis.

OBJICI potest tertio. Modi ita sunt determinati ad hanc potentiam, ut alius principium illorum non possit esse, nisi haec potentia. Ergo & actus vitales, ita sunt determinati ad hanc potentiam, ut non possint principiari, nisi ab hac potentia. Probatur consequentia, ideo modi non possunt produci nisi ab hac potentia, quia sunt essentialis determinatio huius potentiae; sed etiam actus vitales, sunt essentialis determinatio huius potentiae, ex quo principium, infra etiam dicitur, illos non produci per intermediam aliquam actionem. Ergo si modi non possunt produci nisi ab hac potentia, etiam actio vitalis, non poterit produci, nisi ab hac potentia.

RESPONDETUR. Argumentum hoc multum probare, probat enim quod eundem Caimum non poterit generare Abel, non enim potuisset eandem unionem producere siue haec sit modus siue non sine modo; nam haec modalitas, non nisi sibi unum principium determinat, ut vult obijciens. Directè autem ad argumentum dicitur, quòd modus respectu ejus, cujus est modus, determinat principium, & ita actione Petri non potest agere Paulus, quia actio respectu Petri, habet rationem modi; nihilominus modus non determinat sibi principium, & ita actione Petri, non potest agere Paulus, quia actio respectu Petri, habet rationem modi, unionem etiam Petri non potest uniri Petrus, quia unio respectu Petri habet rationem modi; nihilominus modus non determinat sibi principium, si respectu illius, habeat potius rationem termini vel effectus; & ita eadem numero unio, potest diversis actionibus produci, nam respectu illarum

actionum, habet se per modum termini, quamvis haec unio ut dixi, non possit esse nisi huius materiae & huius formae, quia respectu istorum extremorum, exercet rationem modi; sic & in praesenti, actio vitalis respectu hoc, quo, non exercet rationem vitalis, non determinat sibi principium, licet in quantum exercet rationem vitalis, determinet sibi illud.

INSTA BIS PRIMÒ. Ex vi doctrinae nostrae, sequitur, quòd distinguitur ab actu vitali vitalitas, sique illi aliquid superadditum extrinsecum; siquidem potest esse entitas actus vitalis, & non esse vitalitas, non potest autem dici, quòd vitalitas, sit quid extrinsecum actui vitali, quia nihil vivit per aliquid extrinsecum.

RESPONSUM supra; Quod non possit esse entitas actus in circumstantia productionis ab intrinseco, & non esse vitalis, & à sic sumpto actu, non distinguitur vitalitas, licet extra has circumstantias, distinguitur à vitalitate; petatur explicatio ex materia de relatione. Quòd attinet ad illud principium: nihil vivit per superadditum; si simpliciter accipiat, probabit corpus non vivere per animam, nec animari, quia nihil vivit per superadditum: itaque dicta propositio debet sic restringi: quòd nihil vivat per extrinsecum & superadditum, si illud superadditum, vel se non habeat per modum partis, ut se habet anima respectu corporis, vel illud superadditum non se habeat per modum connotati extrinseci quidem, intrinsecè tamen requisiti.

INSTA BIS SECUNDÒ. Ergo saltè deberet actio vitalis per actionem distinctam produci, cum possit esse entitas actus, & non esse vitalis; & sic ut quia potest esse entitas effectus, & non produci ab hac causa; sequitur illam produci debere per intermediam actionem, ita idem dicendum erit de actione vitali; & tamen huic oppositum infra dicitur.

RESPONDETUR. In Physicis diximus in materia de creatione, quòd possit esse entitas aliqua & non esse creata, tamen si creatur, non est necesse illam creari distincta actione, sic & in praesenti, quamvis possit esse entitas actus vitalis, & non produci ab intrinseco, si producat ab intrinseco, non sequitur produci debere per actionem condistinctam. Cujus ulterior haec ratio est; tunc scilicet debere produci effectum per distinctam actionem, qui alias potest esse à parte rei, & non produci ab hac causa, quando transit à non esse causati ad esse causati, sufficiens dari mutatio non potest, nisi ponatur modalis entitas. Potest autem sufficiens hic dari mutatio sine entitate modali, nempe si proficiatur actio à principio debito, quae mutatio non sufficit ut dicatur Abel esse filius Adami, quia ejus generatio de se, non minus est debita Adamo, quam Abeli.

INSTA BIS TERTIO. Dictam mutationem non esse sufficientem, si enim quæ ratur: quare haec entitas actus cum potuerit esse & non esse vi-

† (K) 3

talis,

talis, transeat ad esse vitalis, respondebitur: Quia non proficiscitur à principio indebito, si queratur, potest esse entitas actus, & non habere hoc quod est non proficisci à principio indebito, respondebitur: Quia proficiscitur ab intrinseco principio, de quo ipso queritur, quid sit? petiturque principium, quia respondetur ideo esse actum vitalem, quia est vitalis.

RESPONDETUR. Non peti hoc principium, quia respondere per definitionem actus vitalis, non est respondere petendo principium, sed est dare ultimum responsionis. Quod si ulterius queratur quid sit proficisci ab intrinseco? & per quid transeat ad esse proficiscens ab intrinseco? melior responsio formari non potest, quam faciundo inductionem, & ostendendo, quid sit proficisci ab intrinseco.

INSTABIS 4. Non potest sufficiens mutatio ostendi ad transitum à non esse causantis ad esse causantis, quod scilicet nulla alia causa creata se moverit ad hunc effectum producendum. Ergo nec ad vitalitatem sufficiens erit mutatio, quod non sit producta illa entitas à principio indebito.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam, quia ut dicebam in Physicis fieri potest ut omnes assumantur causa ad eundem effectum Divinitus producendum, quo casu non est sufficiens mutatio, cur hæc causa causabit, quia scilicet alia non causarent, cum posset fieri ut alia causent, causet tamen & hæc, nec ejus causatio explicari poterit per negationem causantium aliarum causarum. Jam autem si assumantur omnes alia cause ad actum cognitionis producendum, respectu omnium aliarum, non esset cognitio illa vitalis, nisi respectu principii intrinseci & debiti, hinc negatio perfectionis à principio indebito, erit sufficiens, ut hæc nonnisi causa, causet illum effectum, utque ille sit vitalis.

INSTABIS 5. Hoc quod se ipso dependet ab aliquo principio non potest produci per intermediam actionem, Ergo cum actus cognitionis per se pendeat à principio vitali, non potest produci per intermediam actionem, quo posito sic ulterius turgetur: Quod non producitur per intermediam actionem, non potest nisi ab hoc principio produci.

RESPONDETUR. Actum illum à principii indebitis actione condistincta producendum, sed à principio debito sine ulla actione intermediaria: quia tamen hoc, quod est dependere seipso, non habet actio vitalis nisi in circumstantia retentæ vitalitatis, fit ut extra hanc circumstantiam, distincta actione produci possit.

QUÆSTIO II.

De Divisione Animarum & Subiectis.

Dividitur communiter anima in negativam, quæ plantis convenit, in sensitivam, quæ animalibus, in rationalem, quæ homini, & circa hanc ultimam

Quæritur potest: An secundum gradum intellectui informet corpus Anima Rationalis negat Cajetanus, affirmant communiter reliqui. Commodius sub distinctione respondebitur. Si enim intellectuale sumatur, prout est à parte rei identificatū sensitivo & vegetativo in anima, sic etiam secundum gradum intellectui informat, quod enim convenit creatæ formalitati, realiter debet convenire & alteri cui identificatur. Si autem intellectivum formaliter, sumatur per ordinem ad nostros conceptus, præcisè: sic sumpta, non est informativa anima corporis, secundum gradum intellectualis; ex præcisa enim ratione intellectualis, absolvit à corpore.

Sed ante infusionem animæ rationalis præceditne distincta realiter anima vegetativa per quam nutriatur fœtus, & quam postea subsequatur sensitiva, ac denique hac expulsa succedat rationalis. Hæc successio non est admitenda, multiplicat enim Entia sine necessitate, poterit enim rationalis anima, in quantum habet dispositiones ad vitam nonnisi vegetativam, exercere officium vegetativæ in quantum habet dispositionem nonnisi ad sensationes, exercere operationes sensitivas. In hac resolutione unum difficile est, nam ante quadraginta dies, non infunditur anima fœtui masculo, & tamen fœtus post conceptionem brevi, nutritur sanguine per venam umbilicarem & in abortivo quatuordecim v. g. dierum, si figatur stylus retrahit sese, Ergo vivit & non per animam rationalem, quæ tum non supponitur adhuc infusa. Sed neque id evincit, nam nutritio illa referri debet in vim materialem, & retractio illa in spirituum calidorum copiam; & sicut amputato capite si ex templo pungatur, solet retractio accidere, & non propter animam, sic & in præfenti.

DIFFICULTAS I.

Animaturne Sanguis?

Affirmat Hurtardus, Ariaga & Oviedo: negat uterque Suarez, Valquez, Pontius, pensanda sunt fundamenta utriusque partis.

Punctum Difficultatis I.

Proponuntur argumenta partis negativæ.

Primum Argumentum est, quo utitur recentior Suarez. Solæ partes componentes & integrantes corpus informantur ab anima, non verò partes non integrantes. Sed sanguis non est pars componens & integrans corpus, sed solum pars requisita ad operationes, Ergo &c. Minorem probat autoritate Innocentii: qui condistinctuit partes componentes, & has appellat quatuor elementa, à partibus non componentibus; quales sunt quatuor humores.

RESPON-

RESPONDETUR. Argumentum hoc fundari in sola voce. Si enim nomine corporis veniant nonnisi solidæ partes, in ista acceptione vocis, sanguis non integrat corpus: si autem sumatur pro toto, quod est condistinctum formæ, sive per modum fluidi, sive per modum solidi, sive compositivè sive integrativè pertinentis, isto sensu, est pars integrans, corpus, sanguis. Quod attinet ad auctoritatem citatam, illa condistinctum quidem sanguinem & alios humores ab elementis, quæ dicuntur componere mistum, sed illo loco non negat illos humores condistinctos ab elementis, spectare ad integritatem corporis, imò ex hoc loco, ut infra videbimus, opposita sententia pro se arguit.

INSTAT Idem auctoritate Tridentini Sessione 13. cap. 3. Ubi docet Tridentinum ex vi verborum poni corpus, concomitantem sanguinem, quod non diceret, si pars integrans corporis, foret sanguis.

RESPONDETUR, accipere Tridentinum ly corpus, prout est in usu & significatione humana morali, in qua nomine corporis, non venit sanguis, & tamen ex vi verborum consecrationis panis, debet hoc nonnisi poni, quod ex usu humano, significat corpus solidum. Neq; inde sequitur, quod debuisset addi in forma consecrationis panis, ly corpus solidum, nam sine hoc addito, secundum usum humanum, ly corpus, supponit pro solido, quamvis enim v. g. aqua licet sit fluida, nihilominus appellatur corpus, inde non sequitur sanguinem etiam nomine corporis venire debere, quia appellatio unius, tali nomine, non inducit appellationem alijs, eodè nomine; consequenter appellari potest fluida aqua, corpus; non appellari autem sanguis.

ADDIT Ariaga, quando dicitur: Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris, non est necessarium, ut hoc verificetur de toto hoc, quod includit homo, sed nonnisi de carne, sic quamvis dicatur vi verborum poni corpus, poni potest non totum id, quod simpliciter est corpus, sed verificari poterit, nonnisi de parte illius, hoc est de solido corpore. Ergo ea ponuntur directè & non concomitantè vi verborum consecrationis panis, quæ subsunt in humana significatione huic voci corpus, quæ vox pro solido hic & nunc supponit. Cumque ipse Christus contra distinctè à corpore meminerit sanguinis, non debebat directè vi verborum consecrationis panis, poni sanguis.

Secundum Argumentum est Pontii: Anima indivisibilis humana, non potest animare partes discretas, & non continuas, sed sanguis non continuatur cum alijs partibus solidis humanis. Ergo non animatur anima rationali, consequenter nec animabitur anima aliorum animalium. Minor probatur auctoritate Aristotelis lib. 4. Hist. animalium cap. 14. & 2. de parte Animalium, cap. 3.

RESPONDETUR. Majorem esse falsam, nam non nisi homogeneorum est continuatio, & tamen multæ sunt partes heterogeneæ in homine, nihilominus animatæ, nam non sunt quid homogeneum ossa est caro, imò caro & forte cutis, quæ tamen animantur, sufficit itaque ad id sola contiguitas, totius, habentis unitatem corporis, intentam per se, à natura. Quod si dicas inter ossa intercedere cartilaginem beneficio cuius totum animatur, nihil evinces; quia illa ipsa ossa, cartilago, & caro, non sunt homogenea, adeoque nec continuata, & tamen ad animandum, illa continuatio requiritur per Objectionem.

Tertium Argumentum est. Sanguis est alimentum viventis, absurdum autem videtur, aliquam partem integram viventis, esse à natura institutam pro alimento ejusdem viventis.

RESPONDET multis ad hoc argumentis Hurtadus & Ariaga negat omnem nutritionem debere esse substantialem conversionem ossaq; dicit ex medulla nutriri. Deinde dici potest, id, quod Antonomastice nomine nutritionis venit, est alimentum ab extra sumptum, sed inde non sequitur, quod sanguis minus principaliter intro jam positus, non possit dici nutrimentum. Quod autem addit Pontius absurdum videri, quod una pars viventis, ordinetur à natura, ut convertatur totaliter in aliam partem; id potius probabit sanguinem non esse alimentum; nam si absurdum est partem viventis ordinari à natura, ut convertatur in aliam partem; sic dicam absurdum etiam esse, ut pars non vivens, quæ tamen integrat ipsum vivens, nutriat aliam partem. Unde informatur negatur id esse ullum absurdum, quod assumit objectio. Quod autem dicit Mastrius hic 109. ar. 2. exinde sequi, quod vivens seipsum destrueret; id non convincit; non enim destrueret sed repararet, cum sanguinis v. g. temperamento destructo substitueret aliam partem sanguinis.

Punctum Difficultatis 2.

*Rationes pro animatione sanguinis de-
ciditur, Difficultas.*

RATIO prima est, qua utitur Ariaga & Ovidio ex auctoritate. Quia scilicet sanguis, est vera pars hominis, pertinet ad veram ipsius constitutionem. Ergo verè animatur, quia partes totius, debent formam totius informari. Antecedens autè probatur ex auctoritate Innocentii supra citati, qui docet, aquam & sanguinem, fluxisse de latere Christi, ut ostenderetur, Christum habuisse quatuor humores, qui pertinent ad veram hominis constitutionem.

† (K) 4 RESPON-

RESPONDETUR huic rationi, imprimis ut patet ex textus verbis à recentiori Suarez citatis, illic non habetur, quòd constituatur corpus à sanguine, sed tantum quòd sicut sunt quatuor elementa constituentia corpus, sic dentur ad augmentationem consimiles illis humores quatuor, sanguis, cholera, phlegma, & melancholia: & tamen certum est, melancholiam & flavibilem non vivere. Rursus transitio Antecedente negatur consequentia, quamvis autem partes constitutivæ totius, debeant informari formâ totius, non tamen informari debebunt omnes partes integrantes, etiam non primariæ, qualis est sanguis, nam primariæ qualis est caro, ossa, nervi dicuntur communiter animari, quantumvis sanguis, quia est necessarius ad obeundas functiones animæ, magis ad integritatem corporis spectet, quam aliæ partes non nisi ad ornatum requisitæ, ut capilli, ungues &c.

Denique posset quispiam dicere, quòd aliud sit quærere, an partes informantur forma totius, & aliud an vivant; nam qui simpliciter omnes formas partiales excludere vellet, dicere posset, quòd omnes illæ partes informantur anima, sed non vivant; quia sicut fieri potest ut anima tribuat primo nonnisi gradum vegetantis, deinde sentientis, idque defectu dispositionum debitum, sic informare poterit sanguinem, non tribuendo illi gradum viventis.

DICES. Ergo poterit aliquid informari ab Anima, & non vivere.

RESPONDETUR. In sententia quæ negat dari ullas formas partiales, debet dici omnes partes informari ab una eademque forma, & cum doceatur esse aliquas partes in vivente, quæ non vivant, hoc ipso consequenter debet dici quòd informantur aliquæ partes ab anima, & non vivant, si ipsæ non sint capaces, ut vivant.

Secunda AUCTORITAS est Tridentini. Quod docet per concomitantiam, quâ inter se partes copulantur, sanguinem esse sub speciebus, quod non diceret, si non sentiret corpus & sanguinem esse veras hominis compartes, adeoque animari animâ.

RESPONDETUR. Quod sanguis sit quidem pars integrans, sed non primo integrans Christi, consequenter non debet esse animatum quid. Adde nec ex vi animati, nec ex vi non animati taxari debet, quid vi verborum directè ponatur. Non ex vi animati, quia si ex vi verborum, non est necesse directè poni animam quare erit necesse ex vi verborum poni aliquid, quia est animatum. Non etiam ex eo debet taxari, non poni aliquid vi verborum, quia est inanimatum, nam directè vi verborum consecrationis panis ponitur quantitas

corporis Christi, & tamen illa non animatur.

Tertia AUCTORITAS. Est Ephesini concilii in Epistola ad Nestorium, ubi dicit: Verbum factum esse hominem, assumptione carnis & sanguinis, unde sentit concilium partes hominis esse carnem & sanguinem, & si una compars, hoc est caro vivit, vivet & sanguis, cum eodem modo, de utraque parte loquatur Ephesinum.

RESPONDETUR. Quod verba concilii nihil dicant de vita sanguinis, quamvis autè de utraque parte eodem modo loquatur concilium, locutio illa accipienda est cæteris paribus, non enim sequetur, ex eo, quia corpus & sanguis sunt partes hominis, eundem jam habere modum essendi partium. Et sicut quando dicitur, homo in pulverem reversurus, non sequitur etiam animam in pulverem reverti, ita quamvis constet homo corpore & sanguine, non sequitur, si corpus vivat, debere etiam vivere sanguinem.

Quando autem dictum est, sanguinem esse partem integram & requisitam ad functiones animæ, non sequetur etiam aërem esse partem integram hominis, eò quòd sit necessarius ad operationes vitæ in homine, nam hæc ratio cæteris paribus accipienda est; deficit autem aër à modo partis, ad integritatem viventis requisitæ, nam si Deus conservaret hominem sine aëre, non diceretur incompletus esse, & exigens aliquid integrum conjunctum, ad sui complementum; & tamen sine sanguine conservatus, esset incompletus homo. Deinde non ordinatur aër ad conservationem viventis per se, hinc omni vivente sublato, non esset necesse corrumpi aërem. Jam autem corrupto vivente, corrumpitur sanguis, propter ordinem quem dicit, per se, ad conservationem viventis.

RATIO Secunda est, qua utitur idem Ariaga, Sanguis est pars hominis ut responsum est, non est autem pars essentialis, nam hæc est materia & forma, utrumque ante unionem incompletum essentialiter, quam incompletionem in se non dicit jam sanguis. Non etiam sanguis est pars integralis, quia si esset pars integralis, deberet esse vivens, nam homo in suo conceptu essentiali, dicit necessario animam rationalem. Ergo pars integralis hominis, dicit necessario partem materiæ unitam illi animæ, semper enim pars integralis totiùs, dicit essentialiter id, quod totum ipsum essentialiter includit.

RESPONSUM jam supra, qualis pars integralis hominis sit sanguis, & qualis pars integralis debeat informari formâ totius. Deinde, nego hominem in suo essentiali conceptu dicere necessario unitam rationalem animam, singularis ejus & omnibus partibus. Nego item, quòd sanguis

sanguis sit pars integralis totius viventis quâ vivens est, licet sit pars totius viventis denominativè; scilicet in quantum dicit, totum completum ex partibus, quas continet; sive illæ sint viventes sive non viventes, desumpta viventis denominatione à nobiliori.

INSTAT 1. Ariaga. Anima rationalis in omnium sententia, est totalis & completa forma. Ergo non potest unum facere cum sanguine, si ille non animatur, sed aliam habet formam. Imò ægrè concipitur, quomodo anima uniatur cum forma sanguinis, tum propter diversitatem, tum ex hoc, quod cum forma sanguinis deberet facere extensionem, sicut punctum materiale additum alteri, facit extensionem & continuationem. Quod si anima rationalis non continuatur cum forma sanguinis, nec materia utriusque continuabuntur, neque poterit esse sanguis pars hominis; nam partes, debent esse inter se unitæ.

RESPONDETUR imprimis. Qui admittunt formas partiales etiam partium viventium, eodem modo discurrunt de forma sanguinis ac de aliis formis partialibus; qui autem non admittunt formas partiales, partium viventium, dicent se ita discurrere de sanguine, ac discurrunt idem Ariaga, de lacte, semine, & si quid aliud non vivit in homine: sicut ergo ille dicit, non fieri unum per se ex anima & forma lactis, sic illi dicent, non fieri unum per se, ex anima & sanguine, rigoroſè loquendo. Nam hoc non constat, nisi iis, quæ se habent per modum materiæ & formæ, vel quæ continuantur; esse tamen unum per se quodam modo, propter subordinationem & ordinem, & bonum totius propter intimitatem, &c. similia. Concesso etiam quod illorum materiæ, de quibus hæc, continentur proportionata continuatione, non sequitur inde, quod cum forma sanguinis faciat anima extensionem, sicut nec facit extensionem anima unita materiæ. Negamus item quod punctum additum puncto, possit facere extensionem, imò concesso etiam hoc, non tenebit paritas; quia nonnisi ex accidenti punctum non faceret extensionem sine alio, si natum sit illam facere in accessu alius puncti; Anima autem rationalis, non est nata facere extensionem, hinc continuata, sive cum materia sive cum forma, habente extensionem vel partes, non facit ipsa extensionem. Addo denique illa propositio: Anima rationalis est forma totalis & completa, si hunc sensum faciat, quod præter illam, nulla alia sit forma, petit principium & apertè falsa est in sententia tenentium formas partiales, cum tamen dicat Ariaga propositionem à se adlatam in omni sententia esse veram.

INSTAT 2. Ariaga. Homo sine sanguine est mutilus; pars autem integralis est illa, sine qua est animal mutilum.

RESPONDETUR à Recentiore Suarez, negando antecedens cum etiam corpus Christi in sepulchro ex sanguine fuerit, neque tamen illud quispiam appellavit mutilum. Sed pone hominem sine sanguine esse mutilum, non sequitur jam sanguinem animari, licet ille spectet ad complendam suo modo totalitatem hominis, exigentia autem sanguinis fundatur nonnisi in eo, quod ob humiditatem & fluiditatem suam, pervadat omnes partes corporis, & deserviat ad deferendos spiritus vitales, tanquam vehiculum quoddam, de quo vide etiam citatum Pontium.

RATIO 3. est. Si sanguis non esset animatus non fuisset assumptus à verbo, & tamen fuisse assumptum constat ex materia de Incarnatione. Sequela probatur. Tum quia irrationalem animam assumere non potest verbum. Tum quia aliàs assumpsisset naturas plures, quam unam, posset sanguis denominari Deus & Verbum, cum ipso diversum suppositum constituit.

RESPONDERI potest negando Sequelam, negando item irrationalem naturam assumi non posse, & quamvis Christus assumpserit unam singularem naturam, quia tamen assumpsit includentem alias incompletas, potuit etiam assumere & sanguinem. Sanguis tamen ille non potuit dici Deus, quia Deus prædicatur nonnisi de eo, quod habet rationem totius, ut colligi potest ex materia de substantia; quia autem sanguis non habet rationem totius, fit ut etiam de assumpto sanguine non possit dici, quod sit Deus, sed tantum, quod sit sanguis divinus. Quod autem dicitur: diversum suppositum constituendum fuisse ex sanguine & verbo præter jam dicta sic solvitur. Quia si sumatur diversitas, materialis, certum est quia aliud est materiale sanguinis, aliud materiale v.g. carnis, si autem sumatur diversitas formalis, nulla hæc erit, quia utrobique unitum idem verbum divinum. Quanquam ut jam dixi, ex sanguine & verbo, non constitueretur unum suppositum, quia suppositum habet rationem totius, quod non habet sanguis.

INSTARI potest adhuc. Si non animatur sanguis vel datur alia forma substantialis informans sanguinem, vel eadem anima informat eum, non tribuendo illi gradum animati, si alia. Ergo dantur formæ partiales, si informat sanguis ab anima. Ergo supervacaneè informatur sanguis ab anima, cum illi non tribuat gradum animati.

RESPONDETUR. Imprimis argumentum multum probare, probaret enim lac, semen &c. esse animatum quid. Quamvis autem non tribueret lacti, anima, rationem animati, non erit supervacanea; quia tribuet gradum informati, defectusque non tribuendi gradum animati, re-

ti, rejici debet in defectum dispositionum, de quo etiam aliàs dictum, & quia ipsa anima, non exigit in sanguine istas dispositiones, non ponitur tamen anima ita in sanguine sicut v. g. in lapide, quia in anima non determinat dispositiones sanguinis. Sed concessa etiam forma speciali sanguinis, possunt negari formæ partiales viventis in partibus viventibus, non verò in iis quæ non vivunt, quia in non viventibus collectio accidentium non potest in aliud principium referri, quàm in illam formam partialem. His consideratis pro utraq; parte.

DICENDUM est: *Sanguinem non animari.* Probat: Quia ex una parte nullæ rationes convincunt illum animari, nec habetur in illo signum manifestum vitæ, quale ordinariè admittitur augmentari per intus-susceptionem, ex altera parte sicut non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, sic nec gradus excellentiæ, qualis est esse animatum, unde etiam à simili infertur, nec lac nec semen animari, præcipuè cum lac à sanguine, non nisi accidentibus differat ex 4. de Generatione animalium capite 8vo, nostram Sententiam docet sanctus Thomas Ima parte Questione ultima articulo primo.

DIFFICULTAS II.

De aliis quænam animantur.

ASSERO 1. *Animari ossa.* Ratio: Nam si ossa non animarentur partes primò constituentes corpus non animarentur, consequenter primò pars constitutiva animalis non esset animata, sensusque ipse doloris qui est in ossibus, suadet illorum animationem; quod si in aliquibus ossibus non sentitur dolor, tamen ob similitudinem cum istis quæ aliàs sentiunt dolorem, animari dicenda sunt. Clarè id docet Aristoteles Primo de Generatione Capite 4.

ASSERO 2. *Dentes animari.* Ratio, quia augmentantur, & illorū augmentatio non potest rejici nisi in intus-susceptionem, nam dum crescunt dentes, lateralibus partibus augmentatis, non apparet, à quo, extra aggesto, augmententur. Neque valet si dicas dentes non habere terminum magnitudinis, eò quòd attriti continuo usu reparent sese, non inquam valet si id dicas, quia quando assumitur viventia habere terminum magnitudinis, non est iste sensus quod se non reparent, ut se in eodem statu servant, sed quod non excedant certam magnitudinem.

ASSERO 3. *Capillos vivere.* Ita Ariaga contra Oviedo.

RATIO. Tum quia ita videtur sensisse Aristoteles libro tertio historiæ animalium cap. 10. & de generatione animalium cap. 3. & 4. Tum quia per intus susceptionem nutriuntur unde

cum attonduntur, crescunt in cuspidem, proximè, ad partem attonsam; illaque parte molliores sunt; quod utramque apparet manifestè, vivente arbuscula, si præscindatur, primo constat per experientiam in barbis promissis partiri sese capillos, qualis partitio per frondes arguit in arboribus vitam. Valefius etiam observavit in radicibus capillorum observari fibras, seu venulas quibus attrahunt nutrimentum. Neque valet quod urget Oviedo, nempe in aliquibus equis ita crescere capillos, ut terram verrant, quod notat illos non habere terminum magnitudinis, non inquam valet si dicas, quia hoc bene referri potest in multitudinem materiæ & dispositionum ad capillos debitum, & sicut quia homines aliqui sunt vel erant valde proceri non sequitur carentia vitæ in illis corporibus, vel quod non habent terminum magnitudinis sic nec in præsentia sequitur, capillos non vivere. Denique cum ordinariè videamus etiam non attonfos capillos ulterius non crescere, ab hac experientia poterimus argumentari quod vivant.

DICES 1. Aristoteles 2. de Generatione animalium cap. 4. docet quod capilli gignantur ex excrementis per virtutem expulsiivam inutilis materiæ, quæ per poros propulsa, cum in exhalationes subito non evanescat frigore duratur & exsiccatur, excrementa autem non animantur.

RESPONDETUR ex secundo de generatione animalium capite 4to. Excrementum esse duplex, quoddam absolutè, & ex hoc negatur augeri capillos & excrementum partium primariarum & ex hoc concedo nasci capillos. *Notabilissima, inquit loco citato quæque pars ex concocto sincerissimo primoque alimento, reliqua necessaria ac illorum gratia constituenda ex deteriore & reliquis excrementis.* Quod ipsum ulterius illustrat instantia petita à Patrefamilias, qui cibum liberis meliorem, deteriore servis, vilissimum dat fociis animalibus. Unde quamvis nata ex excrementis absolutè, non viverent, possent vivere nata ex illo, ut vocat Aristoteles concocto sincerissimoque.

DICES 2. Constat per experientiam, quod mortuorum capilli crescant. Ergo apparet illos non vivere.

RESPONDENT aliqui, quod non nisi evolvantur, sed hæc responsio non satisfacit. Nam hoc est arbitrarium, nam quis credat teneri illos prius paratos & plicatos, sub cute nec primum tunc eos pullulare cum emicant. Commodius dicitur: Non raro contingere ut fiant aliqua opera vitalibus consimilia, quæ non nisi ex modo productionis & agendi diversitatem habeant, unde non sunt illi propriè capilli, sed est consimile quid iis, quæ ex putredine arboris nascuntur arboremque obsident, nec sunt vel adeò firma radice forte quæ tonsi in acumen non

DIFFICULTAS I.

Potestne Sensus ferri in Objectum absens.

non desinerent. Quod si id referatur in ignobilem formam, tamen vegetantem tunc reprobabilem? Quod autem in confirmationem nostram asserti adducit recentior Suarez plicam abscissam sanguinem fungere, constat per experientiam, id non ita se habere.

ASSERO denique. *Ungues vivere.* Quamvis clarius censeantur vivere in sua radice.

RATIO. Quia augentur per introsusceptionem, quæ introsusceptio non est quidem definitivè vita, est tamen illius signum in viventibus materialibus.

DICES. Si unguis per introsusceptionem augeretur, tunc omnes partes æque crescerent, sed non omnes partes æque crescunt, quia si signes unguem punctulis, puncta illa æquè à se distabunt æquè à radice. Ergo non omnes partes æquè augentur, quia deberent à se recedere, & cum illæ maculæ tandem in extremitates deveniant signum est, totum unguem non nisi per protrusionem augeri.

RESPONDENT aliqui, quod in juvenibus unguis distantiam illarum notularum rei ferant eo, quod plus acquirant quàm deperdant licet in unguibus senum non deprehendatur major distantia. Nec urget quod illa signa tandem in extremitates desinat, ut ex hoc probetur non, augeri illos per introsusceptionem poterunt enim adhuc per fibras bene trahere à radice alimentum.

RESPONDERI etiam posset. Quod si cætera essent paria etiam illa signa magis à se distarent, sed quia obest caro ad latera circumposita, hinc fit ut nonnisi illam partem notabilius vergant, ubi non est obstitentia carnis tandemque in extremitates defluant, forteq; ipsa figura qualem illis natura providit facit ut non possint diducere situm.

Deniq; ipse modus crescendi unguium scilicet latior in extremitatibus ostendit illos vivere, quia etiam dilatantur arbores ratione frondium, & si hic esset nonnisi mera protrusio non esset ratio illius dilatationis, deberet enim proportionari foramini, ut ita dicam per quod protruditur. Quod autem magis crescant in morbidis non probat illos vivere, sed ostendit in illis plus reperiri materiæ ad illorum pullulationem. In his tamen quidquid placuerit teneri potest.

QVÆSTIO III.

De Potentiis Materialibus.

DE distinctione potentiarum agetur infra ubi de anima rationali potentiisq; immaterialibus. Ipsæ potentie Materiales dividuntur in internas & externas. Externæ sunt, quinque sensus. Internæ autem, sensus communis & appetitus sensitivus, seligemus circa hæc quæ sunt magis disputabilia.

DICENDUM est 1. *Potentias materiales externas non percipere naturaliter objectum absens.* Probatur experientia: Quia nemo experitur se videre rem absentem, nec audire vocem nemine loquente. Neq; valet si dicas per breve tempus durare posse species objecti, nam quamvis hoc foret verum de aliquibus non tamè universaliter de omnibus, & ita videmus quod species visibiles imitentur naturam lucis, quæ non durant luminoso ablato, quod autem durent aliquantulum species soni sustinet Ariaga. Quod autem non durent species visus, rejici id debet in naturam specierum à posteriori nobis cognitam.

DICENDUM 2. *Divinitus fieri posse ut oculus videat objectum non existens.*

PROBATUR. Quia non implicat contradictionem, ut Deus per suam omnipotentiam producat speciem objecti non existentis uniatq; illam sensorio. Ergo tunc elicitur visio, nam habebit omnia complementa videndi, nec ad sensorium spectat discernere, undenam ortæ illæ species.

Non implicat item ut sine positione speciei suppleat Deus concursum speciei ut compleat potentiam ad eliciendam sibi proportionatam sensationem. Ita docet Oviedo Controversia 4ta animastica Puncto 4to. Contra utrumque Suarez & contra Conimbricenses in quantum docent fieri non posse divinitus ut sine specie produci possit sensatio supplente scil. Deo concursum speciei, ut complente potentiam.

OBJICIT 1. recentior Suarez. Sensus non possunt ferri extra suum Objectum, qualis est sola res sensibilis, res autem sensibilis non est nisi existens & quæ sit præsens saltem apparenter.

RESPONDETUR. Sensum posse ferri extra suum objectum naturale licet non possit ferri extra suum objectum obedientiale; Nego autem quod intra objectum obedientiale oculi non contineatur objectum non existens. Imò cum eodem modo se habeat in ordine ad præsentari sive in se existens diffundat species, sive ex illo absente construeretur species, censendum erit, quod ad pernosendum objectum alterutro ex his modo habens ab intrinseco possit moveri potentia, adeoque ad illud noscendum inchoatam ut vocant vim habebit; dico rursus objectum sensus esse sensibile vel in se vel in aliquo loco, ejus seu concursus supplente.

OBJICITUR 2. Impossibilis est visio quæ nihil videat: Ergo visio non existentis objecti est visio quæ nihil videt: Ergo visio non existentis objecti est impossibilis, Major probatur, quia si possibilis esset visio quæ nihil videat, & esset visio & non esset, esset ut supponitur, non esset

esset autem, quia æquè nihil videret ac cum non erat, sed cum non erat, non erat visio. Ergo etiam cum nihil videt non est visio Minor principalis probatur. Quod videt non existens nihil videt, cum & ipsum non existens sit nihil, sed visio non existentis objecti, videt non existens: Ergo nihil videt.

RESPONDETUR. Committi hic fallaciam Accidentis ex diversa acceptione termini Nihil, quod sic ostenditur in simili. Impossibilis est intellectio quæ nihil intelligit. Sed Intellectio non existentis objecti est intellectio quæ nihil intelligit: Ergo Intellectio non existentis objecti est impossibilis. Porro hæc diversitas acceptionis termini Nihil in hoc consistit, quia ly Nihil significat non esse objectum, circa quod versetur illa visio & quod non attingat quidquam, & in hoc sensu vera est Major. Ly autem Nihil in minori positum supponit pro objecto aliquo quod videtur quamvis non existens, seu non positum extra causas.

ADDO. Quando dicimus videri objectum non existens non est hic sensus quod negatio videatur, sed tantum sensus est videri objectum etiam si illud objectum non sit præsens, vel non existat.

INSTABIS. In visione non videntur species ut infra dicetur, sed ipsum objectum quod tunc neque apparenter est, hoc ipsum sic aliter proponitur. In visione duo ex parte objecti pensari possunt. Primo concursus effectivus. Secundo ipsa terminatio, & quamvis illud prius concedatur posse suppleri à Deo, non videtur quomodo ratione terminativam supplere possit Deus præcipue cum ratio termini sit in genere causæ formalis. Deus autem concursum in genere causæ formalis supplere non possit.

RESPONDET OVIEDO. Objectum pure ex ratione terminandi non influit. Ergo adhuc ut objectum terminet actum non requiritur illius præsentia. Hæc responsio non satisfacit. Nam ex eo quod terminet colligi potius debet, terminationem illam suppleri non posse cum nihil suppleat nisi genus causæ efficientis, & certe si suppleret Deus rationem termini, vel suppleret seipso, & sic non illud objectum non existens, sed Deus videtur illa visione, quod est impossibile, vel suppleret faciendo apparentiam objecti, & sic habet intentum objectio, & licet hoc quod est terminare sub ista formalitate nihil faciat physice in genere causæ efficientis, facit tamen in genere causæ formalis extrinsecæ. Quod autem addit Oviedo non minus terminat actum quo dico Petrum currere Petrus currens quam visio, quia video parietem album, & tamen ad illud prius non requiritur præsentia Petrus currens. Ergo nec requiritur ad visionem existentia objecti, hoc in quâ quod addit non convinceret oppositos, quia ab objecto dicerent, terminatur cognitio non nisi intentionaliter, hinc

etiam naturaliter non potest intelligi non existens, jam autem visio non terminat objectum physice, unde etiam naturaliter non existens, videri non potest.

RESPONDETUR 2. Aliter eo casu imprimis visionem non esse visuram species sed ipsum objectum, hoc autem quod est illo casu videre objectum nihil aliud erit, quam elicere illam sensationem quam eliciisset potentia si præsens fuisset objectum. Quod si quæres quomodo eo casu objectum terminabit visionem, dico hoc sensu, quia illa visio non erit alicujus alius representatio sensibilis, nisi ejus cujus concursum, completionem, determinationem per speciem &c. &c. supplet Deus.

Quod si quæras: Quod autem assumit Objectio Deum non nisi in genere causæ efficientis supplere posse concursum formalem, id etiam eo casu verificabitur, quia faciet produci illam visionem, quæ producta fuisset, si præsens fuisset objectum.

ADDO. Instantiæ hujus totum hunc cardinem in hoc verti, quia hoc quod est ab objecto absente terminari visionem imaginatur aliquid esse aliud, quam hoc quod fit ipsamet representatione producta à potentia representante hoc & non aliud, & hoc ipso objectum absente terminat illam visionem, quia illa visio hoc & non aliud repræsentat.

DICITUR 3. ex Conimbricensibus. Sunt externi sensus talis naturæ ut tendant in objecta prout se habent hic & nunc, i. e. prout conditionibus materialibus situs, distantia, quantitatis affecta existunt, adeoque ut sunt præsentia à parte rei vel saltem ut repræsentantur ut præsentia.

RESPONDETUR. Verum id esse secundum vires naturæ præcisè. Sed eritne illa visio vitalis? affirmativè responderi potest. Ratio, quia erit ab intrinseco parumque referet potentia, sive ab existentia objecti compleatur, ut exeat in suum actum, sive compleatur à Deo in indebitis circumstantiis offerente concursum.

Continuatur solutio Argumentorum.

OBJECT 4. Mastrius Disput. 5. num. 23. Cognitio intuitiva per hoc essentialiter ab abstractiva differt, quia dicit respectum transcendentem ad objectum in se præsens, cum abstractiva notitia præseindat ab existentia objecti. Ergo cum cognitio externorum sensuum sit intuitiva, & respectus transcendentalis sit realiter identificatus fundamento, non poterit ab intuitivo actu, neque à Deo separari.

RESPONDETUR. Negando Majorem. De differentia autem harum notitiarum dictum in 1. parte Disp. 7. num. 94. & hic Disp. 4. quest. 1ma. Cognitio quidem ex vi cognitionis dicit respectum transcendentem ad Objectum. Sed nego quod dicat hunc respectum ad objectum in se præsens, nec hoc probatur.

INSTAT

INSTAT Idem. Ad hanc notitiam non posset species objecti concurrere, quia hæc ex sua ratione est productiva cognitionis intuitivæ, cum sit nata repræsentare objectum verè præsens, quare hæc cognitio deberet produci totaliter à Deo.

RESPONDETUR. Negando sequelam; Concedo quòd species sensibilis ex sua ratione sit productiva cognitionis intuitivæ; sed nego visionem objecti non existentis, non fore intuitivam. Concedo quòd illa species naturaliter sit nata repræsentare objectum verè præsens, sed nego quòd obedientialiter non sit nata repræsentare objectum absens.

OBJICIT quintò Idem Disput. 6ta num. 328. Notitia identificat sibi respectum tendentiæ in objectum ut terminum & quidè tanquam respectum, & quidè tanquam speciem transcendentalem, talis autem respectus identificatur cum fundamèto, unde quælibet notitia dicit duos respectus, unum in quantum accidens, quo respicit subiectum alium respectum sibi identificat, in quantum notitia quo respicit objectum, & iste respectus est essentialiter primus; quia notitia potest stare sine primo, non potest sine hoc secundo. Essentialitas tamen huius respectus, quem dicit notitia ad objectum, non est ratione moventis & causantis, sed in ratione terminantis, hoc autem Deus supplere non potest.

RESPONDETUR. Concedo quòd notitia intuitiva identificet sibi respectum tendentiæ in objectum ut in terminum; Sed nego istum terminum debere esse præsentem; Concedo quòd rationem terminantis non possit Deus supplere in objecto, si enim Deus suppleret rationem terminantis in objecto, jam non illud objectum, sed Deus cognosceretur, hoc enim terminat notitiam quod noscitur, sed quantumvis Deus rationem terminantis supplere non possit. Nego quòd hæc ratio terminantis ab objecto præsentari non possit, quantumvis objectum non sit existens, cum etiam in abstractiva notitia objectum retineat rationem terminantis, & tamen abstractiva notitia attingit non existentia.

INSTAT Idem. Intuitiva notitia per hoc distinguitur ab abstractiva quòd intuitiva sit rei existentis & præsentis in se, habetque in se annexam relationem realem & actualem ad ipsum objectum. Unde non potest esse talis cognitio nisi cognoscens habeat actualiter ad objectum talem habitudinem, quæ necessario requirit extrema inter se actu & realiter distincta. Unde etiam S. Paulus appellat intuitivam notitiam, notitiam facie ad faciem.

RESPONDETUR. Ex dictis in explicatione notitiæ intuitivæ & abstractivæ, constat, non per hoc quod assumit objectio distingui has notitias; & quidem licet intuitiva notitia dicat respectum realem actualem ad objectum, non erit necesse objectum illius esse actu præsens & exi-

stens; nam etiam notitia abstractiva, dicit relationem realem & actualem ad suum objectum, hoc enim est imbibitum in essentia ipsius notitiæ ut ita referatur ad suum objectum, & tamen notitia abstractiva non indiget existentia objecti. Rursus Omnipotentia dicit relationem realem actualem ad creaturas possibiles ab æterno, nec tamen ab æterno existebant creaturæ realiter. Unde universaliter docetur quòd Relatio transcendentalis non requirat existentiam termini. Talis autem est relatio notitiæ ad objectum. Quomodo autem tunc videnda sit res facie ad faciem, videatur loco citato in prima parte.

DIFFICULTAS II.

De Potentia visus, tactus, illasque concernentibus.

ASSERO imprimis *visionem non fieri per emissionem radiorum.*

RATIO. Tum quia aliàs Visio, non esset actio vitalis, utpote non nata esse immanens. Quod si dicas intervenire illic adhuc factionem visionis in oculo; Non stabis jam in tuo sensu, qui ponebat visionem fieri per emissionem radiorum, multiplicasque sine necessitate radios visionis; Tum quia nulla necessitas, & nulla experientia probat hanc emissionem & ex altera parte, alii sensus, operationes suas recepta specie in potentia exercent, sine ulla simili emissionem; neque enim sunt aliqui radii ex potentia auditiva emissi qui capiant sonum.

Aliter probat idem assertum recentior Suarez. Quia vel reverterentur illi radii, & hoc non, quia non est credibile, cum videmus stellam, nostros radios ad illam pertingere in tanta distantia, & reverti. Deinde hæc reversio fieret per reflexionem, & non semper oculus impingit in objectum sufficienter obfistens ac reflectens, & talis est stупpa. Quod si tales radii non revertuntur, emissio illorum debilitaret potentiam non juvaret. Sed responderi posset huic rationi. Sicut enim credibile est à posteriori, nos videre stellam in tanta distantia, illamque posse jaculari suas species usque ad oculum; sic & oppositi, nisi aliunde convincantur, dicent posse oculum radios suos jaculari. Quod ait de refractione, dicerent oppositi: rem subtilem, qualis est ipse radius, à quocunque corpore refringi posse; & quamvis non refringerentur illi radii, nec redirent ad oculum, non sequeretur exinde potentiam debilitandam; quia nulla potentia exercens suos actus, per se debilitatur, nisi ex accidenti, vel ad maximum posset fatigatio admitti in oculo, non nisi tunc, cum nos etiam illam experientia admittimus. Quando autem inquirat si visio sit per emissionem specierum, cur perspicillius utamur? ad hoc dici poterit, quòd sicut in communibus principiis, juvant perspicilla,

† (L)

lia,

lia, ad colligendas species, ita juvare ad colligendos radios emittendos. Historiis, quæ dicunt aliquos, vidisse se, ante se ipsos, derogari posset fides, eo quod id fuerit mera imaginatio.

ASSERO secundò. *Ad hoc ut videat oculus, sufficit objectum esse illuminatum & non est necesse illuminari medium.*

RATIO à posteriori est, qua aliquis in tenebris constitutus videt objectum à longè illuminatum, & non videt proximum, videret autem si esset lux diffusa per medium, id quæ videtur sensisse Aristoteles 2. de anima textu 2. & libro de sensu & sensibili capite 2.

RURSUS. Oculi e. g. catorum videntur, ligna item putrida, lapidesque aliqui, & tamen hæc medium non illuminant. Sed potestne videri etiam color non illuminato medio videtur negare Aristoteles, qui dicit colorem esse motivum perspicui in actu, perspicuum autem in actu non potest esse sine luce. ex 2. de anima textu 31. Videturque etiam hoc experientia probare; quia si luminoso apponas coloratum, illud non videbis nisi ex propinquo, & in tali distantia, & lux illuminans coloratum, possit etiam illuminare medium; & si coloratum non potest species suas projicere, nisi in illuminatum medium; nec etiam sine illo videri poterit. Quod si quæras cur possit videri lux, non illuminato medio, non possit color, referri id debet in naturam objecti à posteriori cognitam.

ASSERO tertio. *Quod color qui videtur non sit lux in extremitate corporis opaci recepta.*

RATIO. Quia mutatio lumine non mutantur colores, sed iidem manent; nec videtur quomodo lux facere possit colorem nigrum. Addo quamvis in Iride, in collo item columbæ, sint nonnisi apparentes, & in lucem referribiles colores, non sequitur idem dicendum de aliis, experimur enim illos colores non esse permanentes, mutarique cum lumine, secus alios.

Quod attinet ad Tactum.

ASSERO; *illum sentire qualitatem non tantum sensui vicinam, sed etiam inherentem.* Est assertum Oviedo contra recentiorum Suarez. *Quod tactus sentiat qualitatem vicinam.*

RATIO, experientia; quia manus sentit calorem ignis, qui non est inherens manui, nam si inhereret, immediatè post, tantundem ex illo sentiretur. *Quod autem sentiatur calor inherens manui.*

RATIO. Tum quia aliàs calor febrilis, sentiri non posset; Tum quia si non sentiretur calor inherens, deberet sentiri nonnisi à parte vicina. Sed falsum est quod sentiatur nonnisi à parte vicina; nam fieri potest ut toto corpore sit sparsus calor febrilis. Tum quia ut addit bene Oviedo, incredibile est hominem non sensurum calorem, ea parte, quæ corpus ejus combureretur.

DICES primò cum recentiori Suarez; Ex nostro asserto sequi tactum, semper sentire, quia semper illi qualitates inherant.

RESPONDERI potest. Sentire semper si sint in excessu aut in indebito temperamento & non secundum proportionem debitam licet non sentiantur si sint in mensura debita. Cujus ratio est ipsa experientia, & natura sensus & sensibilis.

REDDIT aliam rationem Oviedo, quia ut sensatio eliciatur, necesse est ut anima ad illam eliciendam convertatur, & ab aliis operationibus vacet, quibus distrahi posset à sensatione elicienda, quæ conversio licet in actu secundo fiat, per ipsam sensationem, in actu tamen primo, fit per præsentiam intentionabilem objecti apti, si ve per se, si ve per speciem impressam producentis sensationem, quæ intentionalis præsentia, animam revocat, à variis objectis, & illam trahit ad productionem sensationis, quando talis præsentia est quasi nova animo. Cum verò præsentia objecti est connaturalis & diuturna, & non de novo adveniens, non sufficienter animum vocat in actu primo, ut postea in actu secundo sensationem illius producat.

Hic Discursus & ratio Oviedo in multis

NON SATISFACIT. Quia licet ad operationes aliquas valde intensas, necesse sit ita converti animam, ut vacet à reliquis, falsum tamen est, quod debeat vacare ab aliis, hinc cogitans aliquid, potest bene comedere, percipereque quid comedat, cur ergo non poterit sentiri calor, manui inherens, cogitando simul de aliis. Rursus non est necesse, ut moveatur animus ad eliciendam sensationem tactus, non est inquam necesse, de novo advenire, aliàs veterem dolorem nemo sentiret. Denique quia hic totus discursus tandem delabitur, in hoc quod scilicet ille calor, non sit de novo, sit connaturalis &c. de quo ipso quæritur: cur non moveat sensum?

DICES secundò cum eodem. Nullus alius sensus sentit sibi inherentem qualitatem.

RESPONDETUR. Negando, quod v. g. Sonus & Sapor non sentiatur à sensu, in quo recipitur, supposito præcipue, quod istæ qualitates, non per intermedias species, sed species moveant sensum.

DICES tertio cum eodem. Quia tactus sentit molliem & duritiem, quæ non est in ipso tactu.

RESPONDEMUS. Non negamus sentire posse à tactu aliquid, non inherens tactui, sed insuper dicimus sentire posse aliquid inherens ipsi.

DIFFICULTAS III.

De Sensibus Materialibus internis.

ASSERO imprimis dari sensum internum. Ratio; quia nisi daretur sensus internus in brutis, non esset cur repeterent loca, ubi passuntur, quæ non vident hic & nunc, nec possent dignoscere voces Dominorum & cetera similia. Deinde ut advertit Mastrius hic Difficultate 5. num. 246. indubiè animalia distinguunt dolorem à sapore, hinc canis pictam ad vivum carnem non vorat, & tamen hanc distinctionem coloris à sapore non percipit sensus externus, quia

quia non potest potentia aliqua cognoscere distinctionem inter aliqua duo, nisi utrumque possit apprehendere, unde si unus homo cognosceret tantum album, & alter tantum nigrum, neque aliquis illorum solus, nec ambo simul, perciperent differentiam inter album & nigrum, nullus autem sensus externus se solo apprehendit colorem simul, & saporem, referri ergo id debet in sensum communem. Quod autem etiam in hominibus detur sensus communis, ratio est, quia agnoscimus nos diversitatem gustabilis & odorati, & quidem sensibilibus, Ergo cum intellectus sensibilibus non noscat, notitia hæc debebit in aliud principium referri, & hoc principium est sensus communis.

ASSERO secundò. *Sensum communem, in quantum dicit vim percipiendi Objecta particularium sensuum eo nomine vocari.* Idemque principium in quantum non dependet à præsentia objecti externa, vocari sensum internum; Item in quantum cudit imaginem vocari imaginativam; In quantum confundit varias species vocari phantasiam, in quantum autè retinet species transactarum operationum sensibilibus, vocatur memoria sensitiva, & in quantum proponit objecta appetitui sensitivo, sequenda vel vitanda vocatur æstimatoria.

RATIO asserti ex una parte, quia non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, ex alia parte nullum est fundamentum ponendæ inter ista, realis distinctionis.

ASSERO tertio. *In homine hæc identificari omnia anima.* Ratio eadem quæ & prioris asserti, quæ infra fusius proponetur, Ariaga in Disputatione 5. animastica tota Sect. 5. examinando an sensus internus percipiat negationes multa discutit, quæ hic attingenda sunt.

Punctum Difficultatis I.

De variis actionibus Sensus communis.

Sub hoc titulo querendum imprimis venit, scur bruta terreantur umbrâ hominis.

RESPONDENT Aliqui, quia per species nigredinis apprehendunt ibi hominem.

Impugnat primò hanc Responsionem Ariaga: Quomodo scilicet per speciem nigredinis concipiant bruta hominem; An quia putant illum esse nigredinem, vel umbram illam, esse nigredinem, & sic concipiunt rigorosa entia rationis. *Hæc impugnatio*

NON SATISFACIT. Nam non sequetur exinde fieri à brutis rigorosa entia rationis, nam ea non nisi confunderent, quæ sensibus subsunt, talia autem confundere, non est facere ens rationis, ut alibi dicitur. Deinde fieri potest ut tantum simultanea apprehensio umbræ & hominis illos terreat, quo casu non sit Ens rationis, quia simultanea duorum possibilium apprehensio non facit Ens rationis, nam hæc simultanea apprehensio, nõ identificat umbrâ v. g. & hominē.

IMPUGNAT secundò. Quomodo species de nigredine excitari possunt, nam ab ipsâ umbra non possunt excitari, quia hæc est purum nihil, purum autem nihil non habet vim quidquam excitandi, etsi ex eo excitantur illæ species, quia immediatè percipiunt umbram, hoc ipso concedetur virtus cognoscendi carentias & negationes sensu communi, quod negatur communiter, quamvis id asserat Ariaga. *Hæc impugnatio*

NON SATISFACIT; Quia tota illius Difficultas transferri potest ad ipsum sensum externum, quidnam scilicet ille tunc percipiat vidente oculis umbram, si enim dicas quod non videat, contra erit quia non se æquè tunc habet oculus, ac cum est constitutus in tenebris; si dicas videri umbram, jam oculi objectum non erit solum coloratum cum umbra utpote nihil, colorari non possit. Quod si dicas videri tunc lucem ita terminatam, dicent etiam oppositi, videri idem à bruto, per hancq; excitari sibi speciem hominis.

IMPUGNAT tertio Ariaga. Si tegatur murus panno nigro usque ad ipsam terram, non tentabit canis egredi per illum pannum, quod si reperitur porta aliqua vel foramen, etiam si post foramen illud, nihil videatur, statim canis rectâ, ac non casu, fertur ad foramen, Ergo foramen illud non concipitur per modum nigri. *Hæc impugnatio*

NON SATISFACIT; Quia quicquid sit, an percipiatur illa umbra per modum nigri, quod canis tendat potius ad foramen, non inde est, quod sensus illius, distinguat inter nigrum, & illâ umbram: Sed quia recurrunt illæ species locorum quibus pertransiit sentitque instigationem ut etiam modo pergat, quod pergebat ante; immò & ipsa aura ducit illum, ad illuc transeundum redibitque & retorsio facta, quidnam scilicet tunc percipiat, sensus externus canis, qui tamen aliquid percipere debet, ne independentè à sensibus dicatur brutum aliquid operari.

Contra hanc ipsam retorsionem hoc adferri potest, quia nullam rationem adfert suæ responsionis, nec ostendit quomodo per species nigredinis apprehendatur homo.

RESPONDET secundò aliquis apud eundem Ariaga, brutum se reflectere per sensum internum supra suos actus, ideoq; quia videt ibi lucem & illic non videt, noscit ibi non esse objectum, & hoc modo percipit negationes.

IMPUGNAT primò hanc responsionem Ariaga, quia inde sequitur bruta discurre, non enim immediatè percipiunt negationes, sed hoc quasi modo, video colorem hic, & ibi nihil video, Ergo ibi nihil est. *Hæc impugnatio*

NON SATISFACIT; Quia quando oculus videt lucem, & cum non videt umbram, sensus internus dicit, circa hoc non versari visum, seu nullam dari actionem videndi, quod certè potest fieri, sine ullo discursu, nam illis actibus positus in sensu interno, quorum uno dicit, hoc

† (L) 2 videt

videt oculus, & quo dicit, circa hoc non versatur visus, ulterius non procedit ut inferat, nihil hic esse, sed in prioribus duobus actibus sistit. Quod si non procedit ad tertium, non discurret, quia discurre est progredi, ex duobus in tertium.

IMPUGNAT secundò Idem. Sequi ex hac responsione, quod bruta, non tantum percipiant suos actus, sed etiam suam substantiam, dicunt enim, Ego non video, *Hac impugnatio*

NON SATISFACIT; Quia si per cognoscere suam substantiam, non aliud intelligatur, quam habere notitiam experimentalem, ut ita dicam, quæ percipiat se famescere, se percuti &c. id certe brutis denegandum non videtur. Quod si per ly suam substantiam cognoscere, non aliud intelligatur, quam cognoscere, Prædicatum præcisum substantiæ, id falsum est, sed nec sequitur, concedi debere, ex responsione facta.

RESPONDET tertiò ipse Ariaga, quod quando v. g. bruta cognoscunt murum album, foramina &c. percipiunt per sensus positivum aliquid, jam autem Deus infundit illis species ut forment apprehensiones negativas. Addit Idem in apprehensione formata vi illarum specierum inditarum non agnosci à brutis negationes propriè, brutaque attendere semper ad objectum reale. Item quando faciunt comparisonem sui cum brutis majoribus vel minoribus, non cognoscunt propriè negationes, sed cognoscunt objectum positivum, nempe corpus suum & alienum. Addit inferiùs, quod quando ad foramina recurrit canis, ut per illa evadat, quamvis non videat ultra foramen aliam lucem, format talem apprehensionem, nihil est ibi, eo modo quo illam formant pueri, qui non dicunt non esse ibi nigrum rubrum &c. sed dicunt nihil est. Sic etiam bruta apprehendunt in illo foramine nihil esse, adeoque audacter introeunt. *Hac Responsio*

NON SATISFACIT; Quia si nihil obsit & tota Difficultas aliter salvari possit, non est recurrendum ad Deum; quid autem ad Difficultatem respondendum sit, ex infra dicendis collige sub hoc titulo.

QUÆRENDUM secundò venit, ut etiam querit Ariaga, cur v. g. ursus projiciens lapides, seligit non nisi minores, hæc enim selectio in urso, cæterisq; animalibus, videtur adstruere cognitionem parvitatatis, adeoque carentiam magnitudinis, consequenter videtur adstruere id negationum cognitionem.

RESPONDET primò aliqui apud Ariaga, quod eo casu percipiant bruta res parvas, sed non eorum parvitatem.

IMPUGNAT hanc responsionem Ariaga; Quia illi lapides qui sunt parvi, ob parvitatem, formalissimè sunt utiles urso, Ergo non appetit solam positivam eorum lapidum Entitatem, sed sub hac quasi circumstantia, quod sint exigui. *Hac impugnatio*

NON SATISFACIT. Quia quamvis appetantur lapides ab urso exigui, negari potest quod appetantur, quia sunt exigui, sed solo impetu & instinctu ad lapidem tantum, quantus oculis monstratur ferri bruta; Et certè per ipsum Ariaga, potest cognosci tantitas, & talis terminatio luminosi, sine formata apprehensione, de negatione quæ tali. Ergo idem fieri potest, cum appetit ursus parvos lapides. Denique non est negandum quod oculus videat hunc lapidem esse magnum, & hunc parvum, & tamen non sequitur negationem quæ talem, minoritatemque quæ talem ab oculo attingi.

CONTRA tamen hanc responsionem est, Quia non explicat, quomodo attingendo parvum lapidem ursus, non attingat parvitatem quæ talem.

RESPONDET secundò alii apud eundem Ariaga; Quod bruta cognoscant carentias per sensum internum.

IMPUGNAT hanc responsionem Ariaga, inquirendo unde sensus habeat species illarum carentiarum, cum externi sensus illas non percipiant. *Hac impugnatio ex dictis*

NON SATISFACIT, quia licet carentiæ quæ tales non percipiantur à sensibus externis, percipitur tamen id, quod in re sunt illæ carentiæ, nempe tantum coloratum.

Punctum Difficultatis 2.

An in Sensu interno dentur Species insensatas?

Sicut in primo Puncto, ita nec in præsentis, quidquam decerneretur, sed pensabitur non nisi Doctorum sensus.

STATUS difficultatis est; An res quæ sub sensum non cadunt, cognoscat sensus internus, v. g. amicitiam convenientiam rerum & cætera similia, quæ per sensus externos non percipiuntur, ita ut etiam ad illas notitias, habeant species, quæ quia non desumuntur à sensibus, sint insensatas. Admittit has species Ariaga, Disp. 6. animalistica Sect. 1. Subsectione 7. Negat illas recentior Suarez Disput. 1. de speciebus numero 74. & Oviedo, Controversia 13. Puncto 2. negat Pontius Disputatione 49. num. 94. & quidem recentior Suarez negat quidem species insensatas, sed concedit cognosci ea, quæ sub sensum non cadunt. Oviedo autem & negat species, & negat talia objecta cognosci.

Ad negandas Species insensatas.

PRIMUM ARGUMENTUM Pontii est Ipsemet intellectus, non potest absque discursu considerare objectum, sub ulla ratione, sub qua non percipitur à sensibus sibi subordinatis, Ergo neque potentia materialis, quæ non potest discurrere, percipiet illa objecta.

RESPON-

RESPONDERI potest. Negando Antecedens. Sine enim ullo discursu, per appetitum sensitivum, appetit homo v.g. umbram, vel aquam, vel baculum sibi porrectum, dum in aqua perclitatur. Addo sicut finem potest velle brutum, & non formaliter propter finem, nec ex ullo discursu, quamvis homo ordinariè finem appetat ex discursu, sic fieri potest, ut id quod ordinariè non nisi per discursum percipit homo, sine ullo discursu, percipiat æstimatoria bruti.

Secundum Argumentum ejusdem est. Quia ad actum illum de Objecto non sensato, nihil potest determinare potentiam. Non ipsum objectum sensu perceptum externo, supponitur enim, illud objectum, non percipi sensu, non etiam specie sensata, quia species lupi objicitur alteri lupo, nec tamen eum determinat ad odium, sicut determinat ovem, non etiam se determinat ipsa potentia, quia illa est indeterminata, non etiam omnia illa simul quia si ovis educaretur simul cum lupo, non perciperet lupum sub ratione disconvenientis, aut inimici.

RESPONDETUR. Determinationem illam oriri à specie insensata, & ut educata ovis non timeat, habet speciem per quam cognoscit lupum, ita secum cohabitantem ferum non fore, quod nullus sensus percipit, diceretque aliquis cum Ariaga has species à Deo infundi, alius diceret formari ab ipso met sensu communi bruti, qui sufficienter determinatur, per aliqua sensata, ut procedat ad alia quæ sunt insensata v.g. ex actu quem sentit, determinatur ad capiendam umbram.

Tertium Argumentum ejusdem est. Potentia interna æstimatoria ovis v.g. non potest percipere lupum, nisi percipiendo illum vel tanquam inimicum actuale, vel tanquam inimicum aptitudinale, utrumque autem percipitur non nisi per species sensatas. Quod ipsum probatur, non potest concipi per modum inimici actualis, nisi percipiat molestiam ab illo illatam, quæ non percipitur nisi sit sensibile aliquid; Non etiam illum concipit tanquam inimicum aptitudinale, quia non potest apprehendi aliquid per modum calefactivi, nisi præcesserit experientia quod id calefaciat. Ergo nec potest percipere ovis lupum aptitudinaliter inimicum, nisi præcesserit notitia, quod nocuerit, hoc autem spectat ad sensum. Addit item, casus qui adferuntur à tenentibus notitiam insensatam, esse tales, in quibus actualis experientia præcessit.

RESPONDETUR. Hoc addito, infringi argumentum, falsum enim est quod canis non iret ad umbram, nisi fuisset expertus illam refrigerativam, falsum item quod avis non sentiret suam prolem primo allatam nisi prius fuisset ablata, & tamen ablatio illa est aliquid insensatum. Negatur itaque universaliter, quod aptitudina-

lis disconvenientia, vel convenientia sentiri non possit, nisi propter præcedentem experientiam. Quod autem dicit Mastrius hic Disp. 5. numero 259. ideo dolere v.g. vaccam ablato vitulo, quia species vituli in memoria existens, movet sensum vaccæ, ad cognitionem, & appetitum, ad amorem, & quia non adest cognitio visiva in oculo, hinc sensus communis cognoscit vitulum absentem. Quod inquam dicit Mastrius, non convincit, quia difficultatem proponibilem de objecto insensato, transfert ad negationem cognitam, nempe ad negationem cognitionis visivæ, quæri ergo potest quomodo sensus internus extendi possit ad noscendam negationem cognitionis visivæ, unde item habeat species ad noscendam hanc negationem, quomodo item noscitur vitulus absens, non cognita negatione illius in illo loco.

Pro speciebus insensatis hæc sunt rationes: videndum est qui solvat Pontius in oppositum objecta.

Prima RATIO est. Ovis fugit lupum non propter colorem aut figuram, sed quia inimicus est suæ naturæ; avis etiam congregat festucas, ramusculos, non quia id delectat sensum, sed quia est utile ad nidificandum. Ergo ovis percipit inimicitiam lupi, & avis utilitatem paleæ, festucarum, & cætera, quæ omnia sunt insensata.

RESPONDET Pontius, Molestiam quam sentit ovis viso lupo, causari ab accidentibus externis lupi, hanc autem molestiam naturali instinctu fugit, sine cognitione ulla, præter cognitionem objecti externi sic molestantis, hinc fit ut unus lupus, videns alterum lupum, non fugiat illum, fugiat autem ovis, quia propter diversitatem illam, complexio ipsa, & accidentia illa lupi, possunt bene causare molestiam ovi, non lupo. Aves etiam solo instinctu naturæ conveniunt ad nidificandum.

CONTRA. Tum quia redit instantia supra facta, posito quod simul sint educati lupus & ovis, cur non incutiat ille terrorem, hæc non percipiat timorem. Tum quia illam molestiam vel causat species impressa lupi vel species expressa. Non impressa, quia hæc non terrefacit lupum, & tamen est eadem quæ in ove. Nec etiam molestat species expressa, quia hæc non exprimit plusquam possit beneficio speciei impressæ quæ ut dictum, non est terrefactiva. Tum quia illam molestiam vel percipit aliquod principium cognoscitivum vel non percipit, si non percipit, quomodo imperat fugam appetitui sensitivo, qui cum sit cæcus illuminari debet de illa molestia causanda. Quod si illam molestiam percipit principium cognoscitivum. Ergo percipit sensus internus bruti. Ergo ille percipit aliquid insensatum, quo enim sensu illa molestia percipitur.

Punctum Difficultatis 3.

Deciditur tota Difficultas.

DICENDUM est I. *Sensum internum attingere objecta insensata.* Probatur primo, quia datur instinctus ad objecta insensata. Ergo debet dari & cognitio objectorum insensatorum. Antecedens probatur, quia in instinctum refertur ovis fuga à lupo tanquam inimico, collectio item palearum in avibus ad nidificandum & similia. Consequentia probatur, quia ille instinctus vel est dictamen aliquod tenens se ex parte potentiae aestimativae, vel est imperium tenens se ex parte appetitus sensitivi. Ex utroque autem sequitur dari cognitionem objectorum insensatorum. Quod probatur, quia si ille instinctus tenet se ex parte potentiae aestimativae, cum instinctus instiget ad insensata, & sit quasi actus aestimativae, fit ut sicut cognitio non potest non tendere in objectum quod nescit, ita nec possit instinctus insensatum non percipere, si circa illud versatur. Quod si instinctus tenet se ex parte sensitivi appetitus, cum appetitus sensitivus sit cæcus, ut fugiat vel prosequatur illud objectum insensatum, à prava cognitione illuminari debet.

PROBATUR II. Si non perciperetur à sensu interno objectum insensatum, fuga v. g. ovis à lupo viso, referri simpliciter deberet, in solam antipathiam, sed non potest referri in solam antipathiam. Tum quia antipathia non potest pervertere ordinem naturae in agendo, qui est ejusmodi ut potentiam appetitivam, præcedat cognitio. Tum quia antipathia vel est competens non nisi noscitur vel non noscitur etiam, si competit etiam non noscitur. Ergo non potiori titulo refugit ovis lupo, quam humor ligni refugiat ignem, refundendo se in partem non accensam, quod improbabile videtur, nam entia quò sunt perfectiora eò per actus perfectiores provident suae conservationi. Quod si antipathia convenit non nisi cognoscitur, fugae g. ovis à lupo, inexplicabilis erit sine notitia insensatorum. Tum quia multa sunt, quae nec in antipathiam, nec in Simpathiam referri possunt, ut cum canis quaerit janua, egressurus.

PROBATUR III. Quia ex communi sententia, sensus internus, percipit diversitatem inter sensationes externas, sed hæc est quid insensatum, ut probatur. Quia illa diversitas, sita est in comparatione & negatione unius de alio, ut ita dicam, quid autem sensationis habet, comparatio & negatio de alio?

CONFIRMATUR. Quia sensus externus non percipit motum, & sensus internus percipit illum. Ergo aliquid percipit sensus internus, quod non percipit externus. Antecedens quoad primam partem probatur. Quia sensus externus

tantum percipit objectum præsens, motus autem includit & præteritum & præsentem præsentiam. Quoad secundam partem probatur. Quia si motum non perciperet sensus internus quomodo percipiet fugam leporis canis venaticus, eumque insequi appeteret.

RESPONDET Oviedo. Contr. 13. Animastica Pun. 2. Sensum internum non percipere negationes.

CONTRA. Hoc ipsum est quod negatur, quod autem addit sensum internum percipere æquivalenter motum, quia habet memoriam præsentiae, quæ præterit, & simul cogitationem præsentiae quæ modo est; qui duo actus quasi æquivalent cognitioni motus & per illos excitatur canis ad prosequendum leporem. Sed neque id convincit. Quia hoc quod est præteritum, est aliquid insensatum. Ergo si canis habet memoriam præsentiae, quæ præterit, cognoscit aliquid insensatum. Memoria enim est actus cognitionis, æqualisque videtur esse difficultas, concedere cognitionem insensati objecti brutis, atque illis concedere memoriam præteriti motus.

OBJICITUR. Ex vi hujus conclusionis sequi, quod concedi debeat, etiam discursus brutis.

RESPONDETUR. quòd non. Nam discursus in communi sententia, ex ratione sua generica, debet esse actio spiritualis. Jam autem illa sensatio interna, non est spiritualis. Rursus, discursus ex ratione sua specifica, debet inferre unum ex alio, & cognoscere unum tanquam connexam causam cum alio, tanquam cum quodam effectu in linea noscendi, quam connexionem, non attingit sensus internus, de quo fufius in materia de actibus humanis, Disp. 5.

INSTAT. Oviedo. Sensus internus non est discursivus. Ergo non infert unum ex alio; Ergo per species unius objecti non potest aliud cognoscere, consequenter non habet principium ad cognoscenda objecta quæ prius sensata non fuere, cum etiam homini, non infundantur species insensatorum objectorum, qui tamen est nobilior agens.

RESPONDET Ariaga, à Deo infundi illas species, præcisa etiam formalitas hæc, quod à Deo aliquid infundatur, nec in Angelis nec in brutis, arguet præcisè perfectionem. Quia sicut non habere esse nisi ab alio, non arguit perfectionem, sic nec arguet habere species non nisi ab alio, hoc est Deo. Aliunde ergo erit pensanda perfectio specierum, hoc est ex entitativa perfectione, universalitate, modo repræsentandi objectum. Sed ad DEum hic recurrere Philosophicum, non videtur. Hinc aliter

RESPONDETUR. Concedo sensum internum non esse discursivum, consequenter per species

eius unius objecti non potest aliud cognoscere illativè. Sed nego quod non habeat principium cognoscendi objecta quæ prius non fuerunt sensata, nempe ipsum sensum internum, qui etiam ad talia se extendit. An autem, & unde ad talia insensata species habeat, de hoc mox

DICENDUM secundo. *Quando ovis per sensum oculi advertit v. g. lupum, sensus etiam internus percipit lupum, quia perceptione posita per sequelam naturalem posset dici quod exerceat sese antipathia circa suum objectum*, quo exercitio posito, sine ulla ulteriori specie disconvenientiam lupi statim cognoscit ovis, & postea illuminat appetitum sensitivum ad fugam eiusdem. Quod autem dico de antipathia, proportionalliter, dicendum est de sympathia, quod scilicet posita sensatione externa, percipiat objectum illud etiam sensus internus, quia perceptione posita, sympathia naturalis exercet suum officium, quo posito, convenientiam agnoscit sensus internus & illustrat appetitum sensitivum, ad prosecutionem illius.

DICENDUM est III. *Ad præsentiam vel objecti sensati vel speciem eius vicariam producit sensus agens internus speciem objecti insensati, quando objectum insensatum percipiendum est.* Dixi sensus agens externus, quia sicut datur intellectus agens cuius officium est species impressas fabricare, ita sensum internum fabricativum speciei materialis, ad percipienda insensata appellare possumus sensum agentem.

PROBATUR Conclusio. Quia posito quod sensus internus sit noscitivus objectorum insensatorum, debent dari etiam species insensata, totum id probant rationes, quæ ostendunt necessitatem specierum in universum. Tum quia quamvis non appareret tanta necessitas specierum, in circumstantia præsentis objecti proportionati, aliàs sensu, actu percepti; tamen extra hanc circumstantiam, notitia salvari non potest sine specie, sæpe autem noscunt bruta v. g. objectum absens. Tum quia tenet paritas, quæ suaderet non dari species impressas ulla. Ita enim posset argui. Percipi potest objectum insensatum à sensu communi sine ulla specie. Ergo etiam ab intellectu objectum intelligibile, & ab aliis sensibus objectum sensibile percipi poterit, sine ulla speciebus.

Posito autem quod debeant dari, species insensata, debent dari principium illarum productivum, hoc non est objectum ipsum insensatum, non objectum aliquod sensatum non denique Deus. Ergo illas producet sensus internus agens. Quid enim aliud quod species insensatas non producat objectum ipsum, ratio est, quia illud objectum est non raro non Ens, Cum autem productio specierum sit Physica, non Enti, tribui non poterit. Et sicut Ens materiale, non producit species spirituales, quia sunt altioris ordinis, ita nec poterit non Ens pro-

ducere Ens, quia plusquam ordine distant inter se Ens & non Ens. Non etiam species insensatas producit objectum sensatum. Ratio quia lignum non producit speciem impressam adamantis. Ergo nec objectum sensatum producit speciem insensatam; non enim minus differunt sensatum & non sensatum, quam lignum & adamas, quod ipsum in hoc resolvitur. Quia species est vicaria objecti. Si ergo objectum est sensatum, effundit etiam sensati speciem ad eoque non insensati. Non etiam species insensatas producit ipse Deus. Tum quia hoc non est Philosophicum asserere. Tum quia quod Deus potest facere per causas secundas præsentis rerum ordinis, id semper, per illas facit, sicut enim natura, ita nec Deus, qui est natura naturans, in necessariis deficiunt. Potest autem Deus id facere per sensum internum prout agentem. Tum quia species spirituales in anima non producit Deus, sed intellectus agens. Ergo & species insensatas producet sensus agens.

Dixi in secunda conclusione, quod quando oculus ovis aspicit lupum, timetque ovis, quod inquam non sit necesse ponere aliquam speciem impressam ut excitetur affectus timoris, & tamen admitto sensum internum agentem, quia aliàs dicitur infra, ubi de speciebus, quod non ita clarè appareat necessitas specierum, quando adest præsens objectum, quod actu noscitur sensu externo. Hic autem conclusio tertia loquitur, de specie objecti insensati.

Solvuntur Objectiones.

Obiectum I. Mastrius Disput. 5. n. 256. contra conclusionem secundam. Si vera est doctrina illa de Antipathia & Sympathia, sequeretur, quod quando objectum aliquod habet naturalem convenientiam cum duabus naturis specie diversis, ab æstimatoris earundem deberet percipi, ut conveniens, quod falsum est, nam multæ herbe sunt medicinales & convenientes nobis & brutis; & tamen nos apprehendendo speciem unius herbe existis, experimur nos non percipere, illam convenientiam. Ergo nec in brutis movebit species illa æstimatoria illorum ad cognoscendam convenientiam, aliàs deberemus ponere sensus internos perfectiores in brutis, quam in nobis, cuius oppositum fatentur omnes, propter propinquitatem cum potentia intellectiva.

RESPONDETUR. Si naturæ specie diversæ habeant æqualem sympathiam v. g. & æquè intensam, circa aliquod particulare objectum, tunc æqualiter utraque natura percipiet convenientiam, secus si non sit sympathia æquè intensæ. Unde inter feras species distinctas, est æqualis appetentia convenientiarum herbarum, quia & æquè intensæ, quam intensiorem

in hominibus non haberi, ostendit à posteriori experientia. Cumque aliunde natura providerit homini præsidium, nempe per intellectum, & non à Sympathia, concedi potest, quòd per illam vincatur homo à brutis; & sicut vincitur homo à multis feris per externos sensus, licet sub alia formalitate, etiam sensus externi in homine sint nobiliores, ita idem dicendum de sensibus internis brutorum, comparatis ad sensum internum hominis, indubieque in multis brutis sensatio externa bruti est melior sensatione externâ hominis; ita concedi potest sensus internus in bruto melior.

OBJICIT 2. Idem accidentia externa lupi non sunt disconvenientia ovi, sed potius natura ipsa lupi species autem sensibilis, solum representat accidentia lupi, non naturam. Unde si ovis, mutaretur quoad accidentia externa in lupum, non idcirco esset alteri ovi disconveniens.

RESPONDETUR. Natura quidem lupi, est disconveniens ovi, sed mediis accidentibus, quæ dum sui ingerant speciem, terrent ovem. Et si ovis mutaretur quoad externam speciem in lupum, ipsa quidem mutata ovis, non sentiret se incitari in aliam ovem, verè tamen aspiciens o-

vis, timeretur illis accidentibus; sicut canes terrentur à puero, lupum vel ursum simulante, induendo illorum pellem, & per terram reptando.

OBJICIT 3. Idem Quæst. 4. num. 55. contra conclusionem tertiam. Ideò ponitur intellectus agens, ut transferat objectum de ordine materialium, in ordinem spiritualium; quæ actio à phantasmate fieri non potest, unde non admittitur intellectus agens, respectu objectorum spiritualium. Ergo cum objectum sensibile, ut percipiatur à sensu, non indiget, ut transferatur de ordine in ordinem, non erit multiplicandus sensus agens.

RESPONDETUR. Sicut est distinctus ordo materialium ab immaterialibus, ita est distinctus ordo sensibilium, ab insensatis; & de fabricatione specierum, respectu objectorum insensatorum procedit conclusio. An autem totaliter an partialiter sensus ille agens, producat speciem insensatam, conformiter discutitur, ac de intellectu agente. Addo quòd immerito supponat objiciens, non dari species spirituales intelligibiles, spiritualium objectorum.

